DE

ACCUSATIVI USU EURIPIDEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITERARUM JENENSI

PROPOSUIT

C. CARSTENS

SLESVICENSIS.

JENAE,

TYPIS HERMANNI POHLE.

MDCCCLXXXIV.

47

De accusativo graeco saepe viros doctos disseruisse eiusque usum, cum generalem tum a singulis scriptoribus adhibitum et excultum, in omnes partes tractatum esse nec non Euripidem poetam quaestionum de illa re occasionem obtulisse notum est. Quodsi hanc materiam, quam laborem in ea iam consumptum respiciens vereor, ne nimis pertractatam et prorsus exhaustam esse opinari possis, denuo adire ausus sum, primum eo crimine, quod haud scio an mihi obiciatur, me expediam necesse est, me fructus laborum, a tot doctissimisque viris maxima diligentia paratos, negligentem aut multum novi in medium proferri posse putavisse aut eorum sententias et libros pro nihilo duxisse. Sed quia de universo usu accusativi Euripideo nondum actum est et in singulis huius generis quaestionibus inquirendis viri docti satis habuerunt, operae pretium futurum esse confisus sum, si studiis illis nisus eaque secutus Euripidis usum iterum perscrutarer et ea, quae iam inventa essent, si fieri posset, complerem et locupletarem.

Movit me ad conficiendam hanc dissertationem liber, quem nuper scripsit E. Escher. (Der accusativ bei Sophocles unter zuziehung desjenigen bei Homer, Aeschylus, Euripides, Aristophanes, Thucydides und Xenophon. Leipzig. Hirzel 1876.) Qui de Sophoclis accusativo subtiliter agens, quo melius poetae dictionem illustraret, cum illorum scriptorum usu Sophoclis usum contulit. Quorum in numero quamquam Euripidem non neglexit, tamen parum momenti ei tribuit. Nam non solum tres duntaxat fabulas respexit, sed ex iis perpaucos modo locos, qui quaesitiorem usum continerent,

elegit, ut, ubertate exemplorum e Sophocle desumptorum cum paucis illis composita, fieri non possit, quin de poetae dictione perperam iudicaturi simus et sermonem graecum ab Euripide non modo non excultum sed in deteriores partes mutatum esse arbitremur. Quod longe a vero abesse quis nescit? Euripides enim propter fabularum compositionem aliasque res, quibus eum et Aeschylo et Sophocli multum cedere inter omnes constat, licet iure reprehensus sit, in eius dictionem crimina illa minime conferenda sunt, in qua poeta non solum iis, quae subtilioris sermonis propria erant, optime et eleganter usus est, sed novarum quoque et paene insolentium constructionum inventorem sollertem se praestitit. Quod de ipso accusativo valet, quem, a veterioribus scriptoribus ornate et artificiose adhibitum, Euripides saepissime tali modo in usum vocavit, ut cum suum sermonem exornaret, tum linguae graecae excolendae multum profuisset.

De accusativo multa iam scripta esse antea diximus; qua in re praecipue a Sophocle viri docti profecti sunt. Escherus in praefatione dissertationis suae, ea, quae de accusativo praesto sunt, collegit et copiose exposuit, ut eodem negotio supersedere liceat. Sed cum postea nobis de notione et vi accusativi dicendum sit, ne sententias de eo iam prolatas neglexisse videamur, paucis eas attingere necesse est. In dissertatione autem de accusativo summum momenti obiecto, quod dicitur interiori vel accusativo immanenti, in quo dicendi formulae pulcherrimae et linguae graecae propriae inveniantur, tribuendum esse consentaneum est, cum accusativus obiecti vel transitivus, quippe cuius usus in omnibus linguis idem fere sit et res inusitatas non offerat, brevius expediri possit [1]).

1) De accusativo immanenti apud Euripidem quamquam disseruit Guenther, (De obiecti quod dicitur interioris usu Euripideo. Leipzig 1868) tamen hunc meum laborem inanem non futurum esse confido. Nam Guentherus et illum accusativum nimis angustis finibus coercuisse mihi videtur et multas constructiones non ea exemplorum copia illustravit, quam poeta praebet quaeque, qualis sit poetae dictio et quomodo eam excoluerit, demonstrat.

Repeti solent quaestiones recentiores de accusativo a Lobeckio, qui Paralip. VIII 501—538 et multis locis editionis Aiacis Sophoclei de figura, quae dicitur etymologica egit, ita autem rem instituit, ut ingentem fere exemplorum numerum colligeret, quomodo quasque leges secuti scriptores iis usi essent non constitueret. Deinde, omisso Wundero, qui in recensione Aiacis, a Lobeckio editi, a figura illa etymologica exorsus ipse in accusativum inquisivit, summam diligentiam in hanc rem contulit Kolsterus. (Sophocleische Studien p. 270. Über das sog. innere Obiect nach seinem Begriff und Arten, wie es im Sprachgebrauch der Tragiker besonders des Sophocles sich darstellt.) Cuius studia quamvis sint summa laude digna multaque bene et sagacissime inventa contineant, negari tamen non potest, eius rationem, quam in diiudicando accusativo sequatur, miram esse, quae vereor ut multis probetur. Contendit enim vir doctissimus, in sententiis cum acc. immanenti factis accusativum, non verbum gravissimum et maxime necessarium esse (p. 276). Itaque in *χοάς χέασθαι, γέλωτα γελᾶν* non accusativo, sed verbo offensionem inesse. Quam sententiam Schwarzius (Der Accusativ des Inhalts bei Sophocles. Weimar 1863) et Escherus recte refellerunt. Convenit enim hodie inter viros doctos, in constructionibus talibus verbum, per se quoque nomine substantivo vetustius (Schömann, Die Redetheile p. 28), prius et addito accusativo amplificatum et exornatum esse, ut in formulis illis expediendis a verbo proficiscendum sit. Subtilissime de accusativo scripsit Rumpelius (Die Casuslehre. Halle 1845), qui in libro suo summa elegantia et egregia iudicii acie naturam et notionem accusativi illustravit. Quem libellum cum et Escherus et Guentherus parum respexisse mihi videantur, paullo uberius eius mentionem habere et quid vir ille doctus statuerit, in medium proferre liceat.

Ac primum quidem Rumpelius p. 114 sq. omni verbo duas vires inesse docet, alteram praedicativam, alteram verbalem vel copulativam, sive substantiam et motum, quae appareant, cum verbum in verbum auxiliare et substanti-

vum vel adiectivum dissolvatur: er schlägt = er thut einen Schlag, er herrscht = er ist Herrscher. Quae duae vires quamquam in verbo confusae sunt, tamen eas non evanuisse et vestigia earum servari ex eo apparet, quod altera alteram superare et opprimere potest. Si notio praedicativa maioris ponderis est, verbi argumentum gravius et in se perfectum existit, ut non egeat altera voce, in quam vim suam transferat, verbum intransitivum fit. Si vis verbalis principatum tenet, oppressa, qua sustentabatur notione praedicativa, verbum transitivum evadit, quod, cum non iam in se habeat, quo se referat quoque sustineatur, obiectum desiderat, ad quod se applicet quoque vim suam transferat. Quae cum ita sint, ne opinemur cavendum nobis est, verborum alia transitivum, alia intransitivum usum sibi vindicare. Maxima enim eorum exstat mobilitas et licet multorum, imprimis transitivorum verborum usus certis terminis circumscriptus sit, permulta aliis temporibus et ab aliis scriptoribus alio modo, tum transitive tum intransitive, usurpata sunt. Multorum exemplorum, quae Rumpelius huic libertati documento affert, optime eam illustrat Terentii illud: meum gratum rumor est amare. Congruit verbum prorsus cum nostro verliebt sein et uberior amandi notio inest quam in transitivo, in quo ad obiectum pertinens debilitata est. Usus intransitivi verborum transitivorum specimina alia sunt. Caes. b. g. 1,44 de stipendio recusant; 5,32 postquam hostes de profectione earum senserunt; 3,12 minuente aestu; Liv. 21,26 incolunt trans Rhenum; 40,59 terra movet; Gell. 18,12 res auxit. Hunc usum apud Graecos quoque latissime patere notum est, qua de re ne plura dicamus, multorum verborum meminisse satis est, quae tum cum accusativo, tum cum genitivo vel dativo vel praepositione construuntur.

Jam ex his, quae diximus, definitio accusativi ultro se offert. Nam cum verbum transitivum, postquam notio praedicativa evanuit, sui, ut ita dicam, juris esse desineret et aliam vocem desideraret, in quam vim suam verbalem (vel actionem sibi immanentem) transferret itaque demum integram sententiam

contineret, quod supplementum accusativo obiecti offeri vidimus, in artissima illa cum verbo coniunctione, quae interiore vinculo caret, accusativi natura ponenda est. Cf. Hübschmann. Zur Casuslehre, München 1874 p. 133. Es giebt also der acc. das Wort in seiner allgemein abhängigen, obliquen Stellung im Satz, durch die es ganz allgemein als zum Praedicat gehörig bezeichnet wird. Quod quomodo accipiendum sit, comparatis accusativo et dativo ex eodem verbo aptis demonstratur. In sententia: ich rufe die Mutter accusativus nihil continet nisi obiectum, quod vocatur, cum in dativo: ich rufe der Mutter uberior quaedam notio insit, quae quodammodo, cur matrem vocem, continet. Itaque cogitatio et iudicium aliquod ad dativum intelligendum adhibetur, quod accusativo posito opus non est. Jam cum in una lingua multa verba certa lege non contineantur, sed et transitiva et instransitiva notione imbui possint, illud mirari non licet, quod in aliis linguis verba eiusdem significationis usu inter se non conveniunt. Etenim in graeco sermone magna verborum copia occurit, quae contra latinum vel nostrum dicendi usum transitive adhibentur, et imprimis poetae multa verba notione transitiva exornaverunt, quae apud nos et in pedestri Graecorum sermone non leguntur, nisi intransitive, velut *ἄχθομαι, χαίρειν* alia, quae plerumque cum dativo vel praepositione coniuncta apud poetas accusativum secum habere possunt. Il. 13.353 *ἤχθετο δαμναμένους*. Eur. Hipp. 1330 *τοὺς εὐσεβεῖς χαίρουσι θεοί.* Quibus in sententiis accusativus merum obiectum continet Graecosque idem, quod nos nisi praepositione adhibita consequi non possumus, solo accusativo dicere potuisse apparet. Aliter autem eos rem intellexisse ne credideris, immo idem sentientes sermonem aliter instituerunt aliaque dictione usi sunt. Verborum illorum eandem constructionem, quae nobis prorsus absona esse videtur, ne a lingua quidem vernacula alienam fuisse exempla ostendunt, quae Rumpelius e scriptoribus antiquiorum temporum attulit: ich mac wol klagen min schoene wip; du irparmêst mih; daz leidôt mih = macht mir Leid; ir wuntarôt thaz werc.

Constat, in graeca lingua accusativum pendere posse e phrasibus, quae notionem intransitivam continent, velut *συγγνώημν ἔχειν τινά* i. e. *συγγιγνώσκειν τινί*. Quam dicendi proprietatem ut expediat, Rumpelius sagaciter iis verbis nititur, quibuscum accusativus, primo obiective adiectus, ita coniunctus est, ut verbi ipsius partem efficeret, velut *οἰνοχοεῖν*, *καρποφορεῖν*, quae verba mera intransitiva facta saepe talem dicendi brevitatem ostentant, quam nos aequare non possumus, in iisque optime, quantopere sermonis venustate et facilitate Graecis cedamus, apparet, cum constructiones, quas inire possunt, imitaturi sumus. Quamquam enim intransitivam notionem habent, alterum accusativum obiecti ferre possunt. cf. Aesch. Ag. 662 *βουκολεῖν πάθος* Soph. Ai. 549 *πωλοδαμνεῖν τέκνον*. El. 190 *οἰκονομεῖν θαλάμους πατρός*. Magnam brevitatem et multum ornamenti sermoni talibus dictionibus tribui, quae in nostro sermone saepe molestam circumlocutionem desiderant, optime elucet, cum simplicis, quae iis continetur, notionis loco (*πωλοδαμνεῖν* = erziehen, *βουκολεῖν* = weiden ipsam metaphoram respicimus, quae a plane aliis rebus deducta vim suam ad novum obiectum sibi non propinquum transtulit. Eadem ratio subest, cum substantivum non in unam vocem cum verbo contractum est, sed accusativi forma servata sui iuris existit, ut in illo *συγγνώμην ἔχειν τινά*, ubi accusativos diversa ratione e verbo pendere quis est quin videat? Accusativus enim rei obiecti natura, quae propria eius erat, deposita, cum verbo ita coaluit, ut unam notionem complecterentur, e qua, non e solo verbo alter accusativus personae penderet. Quam arte accusativus rei et verbum inter se conexa sint, ex eo apparet, quod mutata constructione activa in passivam accusativus servatur, non in nominativum transit. Tales constructiones quod in duplici accusativo numerari solent, per se quidem fieri potest, re autem accurate examinata eas simplici accusativo tribuendas esse Rumpelius iam monuit; alter enim casus adverbii instar est. Jam cum ex eiusmodi phrasibus accusativus obiecti pendere possit, non mirum est, quod haec proprietas magis ma-

gisque aucta et amplificata est novaeque constructiones artificiosissimae factae sunt. Nam cum accusativus, natura sua destitutus, adverbii vicarius factus esset, mox genuina obiecti forma neglecta et remota est eiusque loco aliae formulae adverbiales positae sunt, velut *ἔχω δι' οἶκτον τινά*. Pendet *τινά* ex *ἔχω δι' οἶκτον*, quasi antecedat *οἰκτίζω*, quae licentia denuo amplificata est, ut ipsa verba intransitiva addito dativo instrumentali transitiva fierent et obiectum acciperent. Eur. Ph. 1578 *θεραπεύμασι μοχθεῖν πόδα*. — Eodem modo multae illae constructiones expediendae sunt, in quibus alter accusativus non praedicatum alterius continet: *ἀγαθὰ ποιεῖν*, *διδάσκειν*, *ἀποστερεῖν*, *ἀμφιεννύναι τινά τι* sq. Respondet accusativus rei adverbiali illi, cuius modo mentionem habuimus, et cum sententia passiva est, eum quoque servari, non nominativo mutari satis constat. Quantopere ab his constructionibus illae distent, in quibus alter accusativus praedicativus est, manifestum est. Continet enim appositionem obiecto additam; uterque igitur casus eodem genere et numero sit necesse est nec non, cum sententia passiva exstat, utroque loco nominativus ponitur.

Egimus adhuc de obiecto verborum transitivorum, cui, etiamsi in alio sermone liberius et frequentius quam in alio adhibetur, eadem ratio ubique subest. Restat, ut ad eam constructionem accedamus, quae linguae graecae propria nomen suum ex ea deduxit, dico accusativum cum verbis intransitivis coniunctum, qui „accusativus graecus" vocatus apud latinos quoque scriptores se insinuavit. Cuius de ratione et natura magna controversia inter viros doctos fuit multaeque, satis illae quidem sagaces, sed eaedem quaesitiores coniecturae factae sunt, quibus structurae illius difficultas tolleretur. Quae studia maximam partem otiosa et inania fuisse mihi videntur; bene enim et facile proprietas illa expeditur, si Rumpelium sequimur, qui meo quidem iudicio rectissime monuit, altera definitione accusativi, cum verbo intransitivo coniuncti, opus non esse, quia natura accusativo obiectivo par et aequalis eodemque modo interpretandus sit. Nam cum Graecos duos accusativos cum uno verbo coniungere potuisse

viderimus, quorum alter notione sua obiectiva, quae eius propria erat, privabatur et ad ipsum passivum, cui intransitiva verbi vis inest, retinebatur, non est, cur verbo intransitivo accusativus adici non possit. Logica sane ratio hac in re multum differt. Verbum transitivum desiderat casum eoque non addito imperfectum est; intransitivum per se quoque intelligitur casuque illo, quo carere potest, nihil nisi amplificationem notionis suae nanciscitur. Grammatica autem ratio eadem est; nam hic quoque substantivum nullo vinculo interiecto verbo adiungitur, et quomodo inter se referenda sint, non nisi e verborum conexu apparet. Causas et rationem huius libertatis, qua usi Graeci plane aliter ac nos res cogitatione comprehendisse et cogitandi praecepta, quibus nostra quidem lingua continetur, neglexisse videntur, perscrutari et definire vereor, ne labor inanis et inutilis sit. Quod ita locuti sunt, in eo acquiescendum est nobis, mirantibus licentiam illam, quam assequi non possumus. Talibus accusativis quamquam dissolutus et incompositus sermo fieri videtur, non possumus non concedere, brevitatem quandam eos continere, quae magnam venustatem et elegantiam dictioni impertiat.

Nominum, quae huic accusativo imposita sunt, acc. obiecti interioris, liberior, immanens, paratacticus sq. hoc a Rumpelio propositum maxime mihi arridet, quia, qualis sit huius accusativi natura, optime illustrat, dico liberam eius cum verbo coniunctionem contra accusativum apud verba transit., qui e verbo aptus eique subiectus hypotacticus appellari potest. Nomen autem illud *κατ' ἐξοχήν* accipiendum esse manifestum est, quia, si definitiones supra exhibitas sequimur, omnis accusativus paratacticus habendus est. — Fuerunt multi grammatici, qui diversa huius accusativi genera statuenda esse censerent eaque e notione, quae vernaculae nostrae versione efficitur, repetere vellent, ut locum, tempus, causam, effectum, qualitatem, quantitatem, alias res casus significaret. Quae opinio quanto errore capta sit, nemo non videt. Etsi enim, ut verba graeca nostro sermone bene vertantur, pro accusativo praepositiones vel formulae, quarum

aliae aliam notionem habent, adhibendae sunt, quibusque genera illa statui possunt, omittere non licet, dicendi facilitatem illam sermonis, non casus propriam esse, perperam autem nos iudicaturos esse, si e nostrae linguae dictione graecae leges deducere et hanc illa constituere vellemus. Itaque si in πηδᾶν πεδία accusativus praepositionibus durch, in, auf, nach verti potest, hoc ipso casu non efficitur, qui eodem modo ut apud verbum transitivum nihil aliud significat, nisi vocem πεδία aliquo modo ad πηδᾶν referendam esse; quinam sit hic modus, tantummodo e verborum conexu elucet. Qua in re cum errores facile evenire possent, prosae orationis scriptores talibus accusativis praepositiones plerumque praetulerunt, cum poetae non tam accuratae dictioni adstricti hac constructione frequenter adhibita sermonem suum pulcherrime exornarent eamque inde ab Homeri aetate magis magisque excolerent. Exemplorum copia, quae accusativi usus in Euripidis tragoediis ubique offert, ne obruamur neve fructu, qui e locis collectis percipitur, privemur, rationem statuere necesse est, qua materia illa constituatur et digeratur. Rumpelius quod certam exemplorum divisionem impugnat eamque a graeco sermone absonam esse contendit, recte ille quidem facit, ita autem, ut caveamus, ne nostram versionem ad verba graeca transferamus eamque secuti accusativi genera statuamus. Ex ipsa autem lingua, si fieri potest, dispositionem quaerendam esse, ne res rudis indigestaque moles fiat, nemo negaverit.

Quae res in accusativo e verbis transitivis apto difficultates non habet et levioris momenti est. Itaque differri potest, dum ad ipsam rem tractandam pervenerimus. Difficilior autum quaestio existit, quomodo exempla, quae-ad accusativum paratacticum pertinent, quem in hac dissertatione praecipue spectaturi sumus, disponenda sint.

Quo in accusativo tractando plerumque incipiunt ab ea constructione, in qua verbum cum substantivo eiusdem stirpis coniunctum est, a figura etymologica, velut ἁμαρτίαν ἁμαρτάνειν, quia his dictionibus optime, quid sit accusativus ille, demonstratur. Quae formulae, quo sunt puerili fere ser-

mone, num genuinae et primae huius accusativi fuerint, e quibus, ut multis placuit, ceterae profectae sint coniectura colligere licet, certis argumentis numquam effici poterit. Et apud Homerum, ad quem, si fontes et originem talium constructionum cognoscere volumus, redeundum est, et hunc et liberiorem huius accusativi usum iam excultum esse et frequenter reperiri nos edocet egregius ille liber viri doctissimi La Roche. (Homerische Studien. Wien 1861.) — Accusativum apud verba intransitiva immanentum vel interioris obiecti appellatum esse diximus, quod nomen ad figuram illam etymologicam revocandum est. Continet enim accusativus idem atque verbum eique iam inest, ut Graeci, rem verbo iam contentam substantivo apposito repetentes, eam urgere voluerint. Qua dictione quia tautologia saepe molesta efficiebatur, accusativo plerumque adiectivum additum est, quo notio illa, et in substantivo et in verbo posita, variaretur. Itaque apud omnes scriptores accusativus sine adiectivo perpaucis modo locis occurrit, cum adiectivo saepissime reperitur, quod idem valet, cum accusativus non eiusdem stirpis atque verbum est sed propinquam modo notionem habet, Quam dicendi rationem ne a nostra quidem et latina lingua abesse, multo autem rarius quam apud Graecos legi notum est. Cf. einen guten Kampf kämpfen, vitam iucundam vivere. — Quod antea cum verbis intransitivis accusativum eiusdem stirpis coniungi diximus, transitivis quoque eum adici posse ne omiseris. Duo autem genera distinguenda sunt. Aut enim accusativus obiectivus exstat, velut Eur. Cy. 26 *ποίμνας ποιμαίνομεν*. Jon. 1420 *σκέψασθ᾽ ὃ παῖς ποτ᾽ ὢν ὕφασμ᾽ ὕφηνʼ ἐγώ*, aut acc. immanens est, velut *ὕβριν ὑβρίζειν*, *φιλότητα φιλεῖν*, ubi transitivam verborum notionem minime sublatam esse alter accus. obiecti demonstrat, qui praeter illum accedere potest: *ὕβριν ὑβρίζειν τινά*.

Quod Graeci orationem solis substantivorum accusativis languentem adiectivis additis variare et exornare studebant, summi ponderis est in explicandis liberioribus illis dictionibus, quae accusativo immanenti effectae sunt. Nam cum in

formulis illis substantivum supervacaneum esset, adiectivum autem principatum teneret et notione sua sententiam imbueret, bene fieri poterat, ut substantivo omisso solum adiectivum servaretur. Qua in re adiectivi forma duplex esse poterat. Aut enim genus suum substantivo debitum servavit[1]) aut neutrius generis factum est. Illius autem usus exempla, quae sunt paucissima, neque apud Euripidem eiusmodi locum repperi, optime ostendunt, multa illa adiectiva et pronomina neutrius generis, quae adverbiali modo posita sunt, ad substantivum omissum revocanda esse. Cf. Schoemann, Die Redetheile p. 148. Wo der besondere Thätigkeitsbegriff nicht durch ein beigesetztes Verbalnomen ausdrücklich ausgesprochen, sondern nur seine Beschaffenheit angegeben wird, da kann natürlich das dazu gebrauchte Adjectiv nicht in der bestimmten geschlechtlichen Form auftreten, welche das Verbalnomen haben würde, sondern nur in der geschlechtlich indifferenten, d. h. im Neutrum, so dass also *ταχὺ τρέχειν* für *ταχὺν τρόχον τρέχειν* steht. Iam attributum non solum adiectivum sed substantivi genitivum esse posse reputantibus nobis explicatio liberrimarum constructionum, quas Graeci accusativo immanenti tribuere ausi sunt, se offert, siquidem adiectivum illud neutrius generis secuti genitivum quoque, omisso substantivo eiusdem stirpis atque verbum, in accusativum mutatum esse statuimus, ut exempli gratia *ἀπαιδίαν νοσεῖν* (Jon. 632) profectum sit ex *ἀπαιδίας νόσον v.* Quam explicationem non nimis urgendam esse neque in constructionibus tam variis et artificiosis, quales apud omnes scriptores reperiuntur, accusativum talem semper requirendum esse consentaneum est. Nam etiamsi illa proprietas ita expediri potest, poetae de hac eius origine non cogitaverunt aut eam neglexerunt suoque ingenio ducti tum quoque accusativo illo dictiones insolentes formare

1) Omnibus huiusmodi locis genus femininum exstat et imprimis apud verba feriendi haec constructio occurrit. Il. 5, 830 τύψον σχεδίην. Soph. El. 1415 παῖσον διπλῆν. Aesch. Sept. 895 διανταίαν πεπλαγμένους. — Ar. Vesp. 595 μίαν δικάσαντες. Pax 897 πλαγίαν καταβάλλειν.

non dubitaverunt, cum in statuendo accusativo eiusdem stirpis atque verbum inanem laborem consumpseris.

Quibus praemissis iam ad ipsam rem propositam accedere posse mihi videor, quam ita mihi disposui, ut primum accusativum paratacticum vel immanentem, quippe cui in hac dissertatione summum momenti tribuendum esset, absolverem, deinde acc. hypotacticum tractarem, denique duplicem acc. adirem. Restat autem, ut opinionem dimoveam, quam titulum huius dissertationis legens vereor ne quis habere possit, omnes accusativi locos apud Euripidem a me collectos et allatos esse, ut La Roche in Homero fecit. Sed quia multos illos locos attulisse nihil attinet, quibus constructiones usitatae neque a vulgari dicendi usu alienae leguntur, eos aut mittere aut paucis speciminibus illustrare posse mihi visus sum. Itaque adiectiva et pronomina illa pro adverbio posita, quorum infinita fere multitudo exstat, et accusativos obiecti transitivi brevius attigi. Sin autem rariorum constructionum, quas omnes colligere intento animo studui, quae me effugerint, spero, fore ut non negligentiae tribuatur, sed maiore, qui inspiciendus erat fabularum numero, nimiaque exemplorum copia excusetur.

Accusativus paratacticus.

I. Accusativus eandem stirpem quam verbum habet. (Figura etymologica.)

A. Accusativus sine attributo.

Quem rarissime apud omnes scriptores legi iam diximus. E Sophocle unum huius constructionis exemplum laudatur O. C. 477 χοὰς χέασθαι (id. Eur. Or. 466 [1]), quod Schneidewinus formulam sollemnem velut θυσίας θύειν adhibitum et ex Homero (Od. 10. 518) petitum esse adnotat. Aeschylus quoque iisdem fere finibus, quibus Sophocles se continuit. Nam

1) In versibus citandis editionem secutus sum Kirchhoffii maiorem.

praeter formulam illam χ. χ. bis adhibitam (Pers. 219. Cho. 156) afferri potest Ag. 1474 *ὕμνον ὑμνεῖν*. — Plura exempla apud nostrum leguntur. And. 134 *τί μόχθον μοχθεῖς;* Or. 1225 *συμπονεῖς ἐμοὶ πόνους*. 1124 *ἀγῶνα πῶς ἀγωνιούμεθα;* El. 510 *σπονδὰς ἔσπεισα*. I. A. 720 *θύσας γε θύμαθ' ἅ μ' ἐχρῆν θῦσαι θεοῖς*. Hel. 784 *ὕβριν ὑβρίζειν*. H. f. 706, 736, I. A. 960, Ba. 240. Med. 323 *μὴ λόγους λέγε*. Sup. 335. Or. 1 *ὡς εἰπεῖν ἔπος*. Her. 167, Hip. 1151.

Nonnumquam pronomen relativum intercedit. And. 317 *σῆς ἁμαρτίας ὕπερ, ἣν ἁμαρτάνεις*. 847 *δεῖμ' ὃ δειμαίνεις ἄγαν*. 956 *φεύγων ἃς ἐγὼ φεύγω φυγάς*. Hel. 1447 *ἅλις δὲ μόχθων οὓς ἐμοχθοῦμεν*. H. f. 1292 *βούλησιν ἣν ἐβούλετο*. Tro. 154 *αἴον οἴκτους οὓς οἰκτίζῃ*. Hip. 1156 *ἀρὰς ἃς ἠράσω*.

B. Accusativus cum attributo.

Attributum articulus genitivus, pronomen adiectivum esse potest. Solum articulum uno loco repperi Or. 905 *τῷ τοὺς λόγους λέγοντι*, quem versum spurium esse Hermannus probavit. — Genitivus exstat Ba. 918 *τὴν 'Ινοῦς στάσιν ἑστάναι*. I. A. 463 *τὸν Ἑλένης γάμον γήμας*. Pronominum exempla sunt: Her. 992 *τόνδ' ἀγῶν' ἀγωνιούμενος*. Alc. 659, Sup. 428. Phoe. 928 *τούσδε μὴ λέξῃς λόγους*. And. 911. I. T. 1270 *πρὶν γ' ἂν εἴπῃ τοὖπος τόδε*. Med. 584 *γαμεῖν γάμον τόνδε*. Tro. 349. Ba. 423 *τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες*. — Sup. 780 *τοῦτο τἀνάλωμα ἀναλωθέν*. I. A. 1391 *τοῦτ' ἀντειπεῖν ἔπος*. And. 221 *νόσον ταύτην νοσοῦμεν*. (Or. 34 *ἀγρίᾳ νόσῳ ν.*) — Sup. 195 *τὸν αὐτὸν λόγον λέγειν*. — Med. 623 *τοιούτους γάμους γαμεῖν*. I. A. 459. Tro. 1010 *ἄλλους γ. γ.* Or. 907 *λόγους τοιούτους λέγειν*. El. 1011 *τοιαῦτα βουλεύματα ἐβούλευσεν*. — Ba. 962 *τρυφᾶν τρυφὰς τοιάσδε*. Sup. 513 *ὑβρίζειν ὕβριν τοιάνδε*. Her. 18. Ion. 834 *ἔπλεκε πλοκὰς τοιάσδε*. El. 804 *τοιάδ' ἐννέπων ἔπη*. — I. A. 871 *οὕστινας λέγεις λ.* — 671 *θῦσαι θυσίαν τινά*. — Or. 737 *τίνας λόγους ἔλεξας;* Hel. 1040 *τίνα φυγὴν φευξούμεθα;* I. A. 1346. Hip. 321 *τίν' ἡμάρτηκεν ἁμαρτίαν;* Ion. 547 *τὸν συναντήσαντά μοι· τίνα συνάντησιν;* — Phoe. 1228 *λέξαντες οἷον*

μήποτ' ὤφελον λόγον. Hip. 337 *οἷον ἠράσθης ἔρον.* — Loci, quibus adiectivum cum acc. coniunctum est, sunt. And. 1112 *τὸ Τρωικὸν πήδημα πηδᾶν.* Or. 253. Hel. 387 *τὰς τεθρίππους ἁμίλλας ἐξαμιλληθείς.* 842 *ἀγῶνα μέγαν ἀγωνιούμεθα.* Ion. 944. Or. 1592 *ἀρνεῖ κατακτάς; λυπράν γε τὴν ἄρνησιν* scl. *ἀρνοῦμαι.* Her. 37 *πτῶμα δύστηνον πίτνεις.* 534 *εὕρημα κάλλιστον εὕρηκα.* Med. 550, 711, Jon. 1525. El. 245 *ἐγημάμεσθα θανάσιμον γάμον.* 924. 873 *τὸ δ' ἀμέτερον χορεύσεται Μούσαισι χόρευμα φίλον.* H. f. 100 *κλέπτουσα μύθοις ἀθλίους κλοπάς.* 179 *τὸν καλλίνικον (κῶμον) ἐκώμασεν.* 1079 *πνοὰς θερμὰς πνέω.* Med. 1028 *τί προσγελᾶτε τὸν πανύστατον γέλων;* 692 *ἐρασθείς — μέγαν γ' ἔρωτα.* Hip. 32 *ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδηλον.* 1300 *ψευδεῖς γραφὰς ἔγραψεν.* Sup. 118 *στρατείαν ἐστράτευσ' ὀλεθρίαν.* 331 *ἄλλα βλήματα βαλεῖν.* 11 *πάθος παθοῦσα δεινόν.* 794, H. f. 1167, Ion. 1381. Med. 653 *παθοῦσα δεινότατα παθέων.* Hec. 762 *πονοῦσ' ἄλλον πόνον.* Or. 1625. Ba. 1249 *ἀλγήσετ' ἄλγος δεινόν.* His exemplis, quae ad usum poetae illustrandum sufficiant, pauca adiungo verborum dicendi et faciendi. Her. 680 *μῶρον εἰπεῖν ἔπος.* I. A. 1449. 1198 *δίκαιον λόγον λέγειν* El. 1055 *οὓς ἔλεξας ὑστάτους λόγους.* Med. 771 *μαλθακοὺς λέξω λόγους.* I. A. 307, Her. 537. Hec. 558 *λ. τλημονέστατον λόγον.* 247 *τί δῆτ' ἔλεξας; πολλῶν λόγων εὑρήματα.* Or. 713 *ἀγγέλλω κοινὰ ἀγγέλματα.* Med. 604 *ἀρὰς ἀνοσίους ἀρωμένη.* Phoe. 67. 410 *ἔχρησε χρησμόν τινα.* I. A. 299 *καλὸν τοὔνειδος ἐξωνείδισας.* 1614 *παραμυθεῖσθαι τούσδε μάτην μύθους.* I. T. 617 *μάταιον εὐχὴν ηὖξω.* Or. 1620 *πεῖθ' ἐς Ἀργείους μολὼν — πειθὼ τίνα; —* Sup. 1076 *δεινὸν ἔργον ἐξειργάσω.* Med. 1110, Hec. 1100. Ba. 1188 *τάδ' ἔργα κατειργασμένα.* Ceteroquin si locos hic desideraveris, quibus accus. eiusdem stirpis exstat, reperies eos in duplici acc.

II. Accusativus significationem verbo finitimam habet.

A. Accusativus sine attributo.

Paucos modo locos repperi: And. 1016 *νόσον Ἑλλὰς ἔτλα, νόσον*. Or. 1314 *σπείσασα χοάς*, 1188 *χοὰς κατασπείσουσιν*. Ion. 1038 *σπονδὰς λείβειν*. Locus, de quo dubitari potest, num huc pertineat, est I. T. 526 *ἄλλως λέκτρ' ἔγημ' ἐν Αὐλίδι*. Verbum *γαμεῖν* quamquam de viro (hoc loco de Oreste) dictum plerumque sensu transitivo legitur, quem sunt qui hic quoque statui velint, equidem *λέκτρα* obiectum habendum esse, quasi metonymia pro ipsa uxore exstet, non credo (And. 992 *δουλεύσομεν νοθίοις λέκτροις*), sed significat *λέκτρα* mea quidem sententia connubium et sensu immanenti ad *γαμεῖν* referendum est. Cf. Med. 594 *ἴσθι γῆμαί με λέκτρα βασιλέων* i. e. regium connubium. Hic autem metonymia illa non statuenda est, quia rerum conexus filiae notionem postulat, quae voci inesse non potest.

Pronomen relativum interpositum est: Hip. 1060 *ὅρκους οὓς ὤμοσα* I. T. 778 *τὸν δ' ὅρκον ὃν κατώμοσα*. 846 *ᾤμωξα τόλμαν ἣν ἔτλη πατήρ*. Ion. 102 *πόνους οὓς μοχθοῦμεν*. I. T. 84, 1423. (Ion. 134 *εὐγάμοις πόνοις μοχθεῖν*.)

B. Accusativus cum attributo.

Hip. 1360 *μόχθους τῆς εὐσεβείας ἐπόνησα*. fr. 1060 (Nauck.) *θεοῦ βίον ζῆν*. — Med. 249 *ἀκίνδυνον βίον ζῶμεν*. Ion. 56 *καταζῇ σεμνὸν βίον*. I. A. 922 *ὀρθῶς διαζῆν τὸν βίον*. Hel. 834 *ὅρκον ἁγνὸν κατώμοσα*. I. A. 386. Sup. 1196 *τόνδ'* (scl. *ὅρκον*) *ὀμνύναι χρεών*. Hip. 301 *τούσδε πόνους μοχθοῦμεν*. Ion. 102 *πόν. οὓς μοχθ.* H. f. 22 *τοὺς μὲν ἄλλους ἐξεμόχθησεν πόνους*. Hel. 733 *πολλὰ μοχθήματ' ἐξέπλησας ἐκπονῶν ἐμοί* spectat acc. ad utrumque verbum. Hel. 604 *πόνους μυρίους τλῆναι*. Sup. 574. Or. 368 *ὃς τὰ δείν' ἔτλη κακά*. Med. 791 *τλᾶσ' ἔργον ἀνοσιώτατον*. Sup. 318 *φαῦλον ἀθλήσας πόνον*. Phoe. 1515 *τίς ἔτλα τοιάδ' ἄχεα*

φανερά; I. T. 115 τοὺς πόνους τολμῶσιν. Med. 695 τετόλμηκ' ἔργον αἴσχιστον τόδε. Ion. 129 καλὸν τὸν πόνον λατρεύω. Hip. 293 νοσεῖς τι τῶν ἀποῤῥήτων κακῶν. Her. 990 Ἥρα με κάμνειν τήνδ' ἔθηκε τὴν νόσον.

Sup. 594 φόβους πονηροὺς καὶ κενοὺς δεδοικέναι. H. f. 1003 εὕδει ὕπνον οὐκ εὐδαίμονα. 1023, 1049. Rhe. 732 τὸν ὑπασπίδιον κοῖτον ἰαύει. Tro. 757 λυγρὸν δὲ πήδημα πεσών. Phoe. 641 ᾧ μόσχος ἀδάματον πέσημα δίκε, quod scholiasta recte interpretatur ἔῤῥιψεν, ἑαυτὴν δηλονότι, ἔπεσεν[1]). Phoe. 1575 εὗρε δὲ τέκνα κοινὸν ἐνυάλιον (i. e. μάχην) μαρναμένους. H. f. 892 κυναγετεῖ (i. e. διώκει) τέκνων διωγμόν. Sup. 299 οὔτοι μέμψομαι τὴν νῦν σιωπὴν ὡς ἐσιγήθη καλῶς. Hel. 783 γαμεῖν τἀμὰ λέχη. Tro. 44, El. 934, Ion. 308. Hel. 109 θεοὶ δέ σοι ἐσθλῶν ἀμοιβὰς ἀντιδωρησαίατο. Or. 461 ἀπέδωκ' ἀμοιβὰς οὐ καλάς. Sup. 362 τοῖς τεκοῦσι γὰρ δύστηνος ὅστις μὴ ἀντιδουλεύει τέκνων κάλλιστον ἔρανον· δοὺς γὰρ ἀντιλάζυται. Quam lectionem, Euripidi aptissimam, sunt qui mutent virgula post τέκνων posita, ut verbis κάλλ. ἐρ. appositio ad antecedentia insit.

Iam verborum genera quadam complectar, quae eodem modo constructo sunt.

V e r b a f a c i e n d i. Ba. 1058 ἔργματ' οὐχὶ θνητὰ δρῶν. Hec. 775 ἔργον ἀνοσιώτατον δρ. And. 342, 789. Her. 980 τὸ δ' ἔργον τοῦτ' ἐμοὶ πεπράξεται. Hip. 644 δρῶσι κακὰ βουλεύματα. Quae exempla afferri nihil interesse videtur, quia verba faciendi semper transitive construuntur. Qua in re ne false iudicemus cavendum est; nam verba illa ἐργάζεσθαι, δρᾶν, πράττειν sq. propria notione intransitive accipienda sunt, ut nostrum: ich handle, latinum: agere. Quapropter δρᾶν τινα non legitur, et cum Graeci talem constructionem formaturi erant, alter acc. adici debebat, qui transitiva vi verbum exstrueret, velut κακὸν δρᾶν τινα. Accusativum autem rei, quocum verba illa saepissime construuntur, non obiectum

1) Ad intransitivum verbi δίκειν usum cf. Hel. 1325 et Alc. 897, ubi ῥίπτειν eodem modo quo πίπτειν legitur.

transitivum esse, sed immanenter ad verbum pertinere eiusque notionem amplificare tenendum est.

Verba dicendi. De quibus idem valet, quod de verbis faciendi modo diximus. Transitiva haec verba tum sunt, cum accusativum personae secum habent, velut *ἄνδρα μοι ἔννεπε*. El. 806 *λέγων Ὀρέστην καὶ σέ*. Hip. 167 *Ἄρτεμιν ἀΰτευν*.

εἰπεῖν. El. 570 *πῶς εἶπας ἀνέλπιστον λόγον;* Ba. 765 *τοὺς λόγους ἐλευθέρους*. Ion 1528 *τοὺς λόγους*. Hel. 945 *λόγους — τίνας*. Tro. 715 *πῶς λόγον;* H. f. 1235 *ἐπιτυχόντος ἀνθρώπου λόγους*. I. A. 1105 *λόγους-οὕς*. 1347 *πονηρὸν οἰωνὸν λόγων*. I. T. 1261 *ἄπιστον μῦθον*. Med. 1116. Hel. 472 *τίνα μῦθον;* Phoe. 918. 1340 *τίν' εἴπω μῦθον ἢ τίνας λόγους*, quam tautologiam, satis illam quidem languidam, ut evitent, editores nonnulli scribunt *ἢ τ. γόους*. — Hip. 494 *ἐξειπ. τὸν εὐθὺν λόγον*. Sup. 1179 *ὑπεῖπον τοὺς αὐτοὺς λόγους*.

λέγειν Or. 1533 *καλὸν ἔπος*. El. 329 *τοῦτο τοὔπος*. Hel. 442, Phoe. 881. 445 *τοιούσδε μύθους*. Rhe. 867. Med. 356 *λέλεκται μῦθος*. Her. 812, I. A. 402.

λάσκειν. El. 1211 *βοὰν τάνδε*. Or. 322 *φάτιν-ἄν*. I. T. 951 *αὐδήν*. 447 *ἀγγελίας ψευδεῖς*.

αὐδᾶν. And. 1064 *δυσμενεῖς λόγους*. Ion 901 *κραυγάν*. Hec. 192 *δυσφήμους φάμας*. — I. T. 173 *ἀντιψάλμους ᾠδὰς ὕμνον τ' Ἀσιήταν σοι ἐξαυδάσω*.

ἀγγέλλειν. Phoe. 1082 *καινὸν ἔπος*. Tro. 55, 240. Ion 181 *θεῶν φήμας*. Or. 1568 *βάξιν, ἣν ἤγγειλέ μοί τις*. — Ion 1566 *τοὺς λόγους ὑμῖν φράσαι*. — El. 353 *τίν' ἀγορεύοντες λόγον;* — 807 *οὐ γεγωνίσκων λόγους*. — Med. 1296 *τούσδ' ἐφθέγξω λόγους*. — Sup. 479 *σκέψαι μὴ σφριγῶντ' ἀμείψῃ λόγον*. (Rhe. 630 *σαθροῖς λόγ. ἀμ.*) — Hec. 217 *νέον τι σημανῶν ἔπος*. 542 *τόνδε λόγον*. — Ion 916 *εἰς οὖς αὐδὰν καρύξω*. Hel. 1492 *κ. ἀγγελίαν*.

Verba clamandi, cantandi. *βοᾶν*. Hip. 571 *τίνα λόγον;* Hel. 1597 *τὴν ἐναντίαν ὄπα*. Ion. 1449 *τίν' αὐδὰν ἀύσω, βοάσω;*

θροεῖν. Ion 793 *ἀναύδητον λόγον*. Hip. 571 *τίνα*

θροεῖς αὐδάν, τίνα λόγον βοᾷς; i. e. Welch Klagewort sprichst du? Quae verba Arnoldius in fabulae editione recentissima interpretatur: Von welchem Lärm sprichst du? Non solum conexus verborum sed Or. 1249 et Tro. 1228, ubi eadem verba leguntur, perversam illam versionem esse ostendunt.

κελαδεῖν. Hel. 371 *βοὰν βοὰν Ἑλλὰς κελάδησε κἀνοτότυξεν.* Ion 93 *βοὰς ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ.* El. 714 *φθόγγον κάλλιστον.* — Tro. 993 *ποίαν βοὴν ἀνωλόλυξας;* — Phoe. 1040 *ἰήιον βοὰν βοάν, ἰήιον μέλος μέλος ἐπωτότυξεν.* — I. T. 220 *οἰκτρὰν αἰαζόντων αὐδάν.* — Ion 1206 *ἐκ δ' ἔκλαγξ' ὄπα ἀξύνετον.* — Hec. 1071 *βοὰν βοὰν ἀυτεῖς.* fr. 781 *γαμηλίους μολπάς.*

ὑμνεῖν Med. 540 *κάλλιον μέλος.* H. f. 685 *παιᾶνα.* I. T. 176 *μοῦσαν.* fr. 775 *κῶμον.*

ᾄδειν. Tro. 515 *ᾠδὰν ἐπικήδειον.* H. f. 679 *τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον* (scl. *ᾠδάν*). El. 863 *ἐπάειδε καλλίνικον ᾠδάν.* I. T. 1305 *κατῆδε βάρβαρα μέλη.*

μέλπειν. Cyc. 69 *ἴακχον ᾠδάν.* Ion 912 *παιᾶνας.* Cyc. 657. Phoe. 788 *μοῦσαν.* I. T. 415 metri cum antistropha aequandi causa Weckleinius scripsit *Νηρῄδων ⟨ὄπα⟩ χοροὶ μέλπουσιν ἐγκύκλιοι.* Quod fieri quidem potest; tamen quia *ὄπα* languere mihi videtur, Hermanni coniecturam praetulerim *ποσί*, quae sequentis versus lectione *ἐγκυκλίοις*, ab editoribus in *ἐγκύκλιοι* mutata, optime nititur. Qua recepta *μέλπειν* hoc loco non cantare, sed ludere significat. Hanc autem propriam verbi notionem poeticam fuisse Musgravius monet auctore scholiasta ad Il. 7, 242. Hesychius quoque explicat *μέλπει: παίζει.* —

ἠχεῖν. Ion 892 *μουσᾶν ὕμνους εὐαχήτους.* Med. 425 *ἀνταχ. ὕμνον.* Alc. 437 *παιᾶνα.* — Tro. 518 *μέλος εἰς Τροίαν ἰαχήσω.* — Hip. 876 *οἷον εἶδον ἐν γραφαῖς μέλος φθεγγόμενον.* — 1071 *εἴθε φθέγμα γηρύσαισθέ μοι* — Ba. 1046 *ἀντέκλαζον ἀλλήλοις βακχεῖον μέλος.*

Verba spectandi saepe cum acc. similis notionis velut *ὄψιν, θέαμα* coniunguntur, qui non obiectum immanens

sed transitivum continet. Immanentis notionis exemplum legitur H. f. 221 *Θήβαις ἔθηκεν ὄμμ' ἐλεύθερον βλέπειν.* Dicere vult poeta, Thebas ipsas liberas esse oculisque liberis circumspicere potuisse, non aliam rem liberatam contemplatas esse. Alius sensus inest: Hec. 75 *εἶδον φοβερὰν ὄψιν.* I. T. 149, Hel. 71. 558 *τίν' ὄψιν σὴν προσδέρκομαι;* H. f. 1119. Hip. 804 *ὡς ἴδω πικρὰν ὄψιν.* Ba. 1221 *λεύσσω γὰρ αὐτῆς ὄψιν οὐκ εὐδαίμονα.* Med. 1156 *δεινὸν ἦν θέαμ' ἰδεῖν.* Ba. 750. Tro. 1146 *λυπρὸν θέαμα κοὐ φίλον λεύσσειν ἐμοί.* Quibus locis accusativum transitivum esse apparet, cum res aliqua adspici dicatur, non de subiecto, quomodo rem videat praedicetur. Alios locos, ubi de natura accusativi dubitare licet, videas in duplici acc.

Verba eundi. El. 952 *τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς.* Ba. 978 *τίς ὅδε Καδμείων οὔριον δρόμον εἰς ὄρος ἔμολεν.* Quae Hermanni coniectura magis mihi probatur, quam codicum scriptura *οὐρίο* — vel *ὀριοδρόμων*, quarum altera *οὐρ.* i. e. secundo vento navigans cum *Καδμ.* non convenit, altera *ὀριοδρ.* i. e. per montes currens verbum linguae graecae aptum non est, cum analogia vocis *ὀρειβάτης* (I. A. 1590) *ὀρειδρ.* scribendum fuerit. Phoe. 847 *πυκνὴν δὲ βαίνων ἤλυσιν μόλις περῶ.* Schol: *συνεχῆ πορευόμενος πορείαν μόλις κινοῦμαι.* 1384 *ἦξαν δρόμημα δεινὸν ἀλλήλοις ἔπι.* H. f. 1030 *πικρὰν διώκων ἤλυσιν πάρεσθ' ὅδε.* Hip. 284 *πήδημ' εἰς Ἅιδου κραιπνὸν ὁρμήσασά μοι.* Rhe. 416 *νόστο τὸν πρὸς Ἴλιον περᾶν.*

III. Substantivi accusativus omissus eiusque attributum accusativo verbo adiunctum est.

Priusquam ad substantivorum accusativos accedamus, quos e genitivo ortos esse statuimus, in pronomina et adiectiva animum intendere necesse est, quorum usus apud omnes scriptores latissime patet. Hanc autem constructionem ipsam ex omisso substantivo profectam esse, iam p. 11 exposuimus. Continentur igitur verba *πάντα δυστυχῶ* dictione *πᾶ-*

σαν δυστυχίαν δ., ἀνόσια ἐργάζεσθαι formula ἀν. ἔργα ἐργ. ubi, cum iteratio molestior esset, eiecto substantivo adiectivi neutrum servatum est. Plurimis autem locis neutra illa naturam suam verbo immanentem amisisse et adverbiorum loco posita esse antea iam monui.

A. Pronomina.

τοῦτο. Or. 534 εὐδαιμονῶ. Ion 553 τερφθείς. El. 36 ἐξελέγχομαι. Ba. 642 ὠνείδισας δὴ τοῦτο Διονύσῳ καλόν. Andr. 88. Ba. 468 εὖ παρωχέτευσας. Alc. 49 τετάγμεθα Monkium, ποιεῖν subaudiendum esse adnotantem, Pflugkius iam refutavit, verba ad formulam ταύτην τὴν τάξιν revocans. I. T. 538 τί δ' ἐστέναξας τοῦτο; El. 259 τοῦτ' αὐτὸ ταρβῶν. Tro. 949 αὐτὸ τ. σπεύδεις.

ταῦτα. Ba. 646 ἔφυν σοφός. 248 ἔπεισας. Ion 560 ἀμηχανῶ. I. T. 729 συγχωρήσεται. El. 331 ὑβρίζεται. Her. 59 τί μοχθεῖς τ. And. 832. Hip. 968 τί τ. σοῖς ἁμιλλῶμαι λόγοις; I. A. 303 ἄλλοις ἁμιλλῶ τ. i. e. de his cum aliis disceptabo. I. T. 470 τί τ. ὀδύρῃ; And. 212 ταῦτά τοί σ' ἔχθει πόσις i. e. eam ob rem. Nam formula τοῦτο τὸ ἔχθος, unde illud ταῦτα repetendum est, non solum quale sit odium, sed, quia ad verba antecedentia spectat, causa quoque odii continetur. Eodem modo vertenda sunt. I. T. 907 ταῦτα ἠγγέλθης μανείς. Ion 358 τ. καὶ μαντεύομαι. And. 678 τ. εὖ φρονῶν σ' ἐπῆλθον. I. A. 344.

ταὐτόν. Hec. 293 σθένει. Cyc. 630 πεπόνθατε. Her. 679 ταὐτὰ — ὠφελεῖν. Ba. 182 ἐμοὶ πάσχεις. Ion 341, Or. 1074.

τόδε. And. 462 αὔχει. El. 648 ὑπηρετείτω. Alc. 108 αὐδᾷς. Phoe. 1084 μὴ τρέσῃς τ. Med. 155 μηδὲν τόδε λίσσου. 158 κείνῳ μὴ τόδε χαράσσου i. e. eam ob rem.

τάδε. Ba. 473 εὖ φρονοῦσιν. 514 ἀναβοάσας. Hel. 709 πίστευσον. Phoe. 1649 ἐπίθου. Hec. 324 τολμᾶν. I. T. 291 θεὰς ἀμύνεσθαι. I. A. 406 πονεῖν. 533 ἠπόρημαι. 458 ἱκετεύειν. Or. 666. 1175 εὔχομαι. 399 νοσεῖν. El. 64 μοχθεῖν. And. 1197 ἱστορεῖν. Ba. 622 τάδ' ἄλλα λυμαίνεται.

τοιαῦτα. H. f. 219 *ἀμύνεθ' Ἡρακλεῖ*. And. 661 *λάσκεις*. Tro. 726 *νικήσειεν*.

τοιάδε. Ba. 150 *ἐπιβρέμειν*. 1048 *ἔλεξεν*. 1232 *ἡμῶν τ. ἐξειργασμένων*. Med. 1146 *προσαυδῶν*. Hel. 1242 *σοφοὶ τὰ τοιάδε*. Andr. 659 *ἔπασχεν*.

τοσόνδε. Phoe. 1181 *ἐκόμπασεν*. Hec. 1256 *μανείη*. Tro. 1154 *ἐδείσατε*. 925 *ὤνησαν οἱ 'μοὶ γάμοι Ἑλλάδα*.

τοσαῦτα. Ion 274 *εὐτυχοῦμεν*.

οὐδέν. And. 490 *μητρὸς λεχέων μετέχων*. Ba. 193 *σοφιζόμεσθα τοῖς δαίμοσιν*. 202 *αὔξεσθαι θέλει*. 325 *φρονεῖς*. Med. 328 *αἰδέσει λιτάς*. Hel. 619 *εἰδώς*. Hip. 930 *οὐδ. ὄντες αἴτιοι*. H. f. 1297. 1280 *ἀλγεῖς*. 498 *τάχ' οὐδ. ἀρκέσεις*. Sup. 264 *λιταὶ ἤρκεσαν οὐδέν*. 585 *περαίνομεν*. Rhe. 434. And. 736 *ἀδύνατος οὐδὲν ἄλλο πλὴν λέγειν μόνον*.

μηδέν. Tro. 730 *σθένουσα*. And. 974 *φοβηθῇς*. Hec. 1022 *φείδου*. Med. 404. Or. 1104 *τρέσῃς τάσδε*. I. T. 1194 *θαυμάσῃς*.

τὰ ἄλλα. Tro. 432 *τἄλλα δ' οὐκ ὀνειδιῶ*. Hec. 859 *θάρσει*. Ba. 760 *μέγας*. Or. 68 *τά γ' ἄ. ἐπ' ἀσθενοῦς ῥώμης ὀχούμεθα*. Or. 533 *μακάριος*. Hel. 1104 *τἄ. ἡδίστη θεῶν*. Phoe. 526 *εὐσεβεῖν*. Med. 264 *φόβου πλέα*. Sup. 304 *εὖ φρονῶν*. Her. 499 *τἄ. εὐτυχῶς πεπραγότες*.

ἕτερα. Tro. 621 *νοσεῖς*. Ba. 897 *ἕτερα δ' ἕτερος ἕτερον παρῆλθεν*.

θάτερον. Ion 857 *δυστυχῶν*. 591 *νοσῶν*.

πάντα. El. 1052 *συγχωρεῖν πόσει*. Rhe. 152 *πόλει ὑπηρετεῖν*. Med. 617 *σοὶ ὑπουργεῖν*. Hec. 427 *δυστυχεῖν*. Or. 586 *πείθεσθαι*.

Singularis *πᾶν* exemplum non repperi. — Hic quoque attulerim Med. 939 *εὐδαιμονήσει δ' οὐχ ἕν, ἀλλὰ μυρία*.

Formularum cum articulo factarum specimina sufficiant haec: Ba. 45 *θεομαχεῖ τὰ κατ' ἐμέ*. 903 *τὸ κατ' ἦμαρ ὅτῳ βίοτος εὐδαίμων, μακαρίζω*. Ion 124 *λατρεύων τὸ κατ' ἦμαρ*. Ba. 1118 *Ἰνὼ δὲ τἀπὶ θάτερ' ἐξειργάζετο*. 931 *τἀνθένδε δ' ὀρθῶς ἔχει πέπλος*. Sup. 761 *τάφῳ δέδονται*.

τοὐκεῖθεν ἢ τοὐνθένδε; Hel. 1370 τὸ μὲν κατ' οἴκους εὐτυχοῦμεν.

Pronomen relativum saepissime hoc modo a poeta adhibetur: Ba. 645 ἃ δεῖ σ' εἶναι σοφόν. 1112 ἃ χρὴ φρονεῖν. 489 ἃ πάσχω. 776. Hel. 308 ὃ σπεύδεις ἴσως. Hec. 280 οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών. Tro. 909 ἅ σ' οἶμαι ἐμοῦ κρατήσειν. Hip. 21 ἃ δ' εἰς ἔμ' ἡμάρτηκεν. Med. 544 ἅ μοι ὠνείδισεν. Hel. 1008. Vis causalis supposita est Hec. 13 νεώτατος δ' ἦν Πριαμιδῶν, ὃ καί με γῆς ὑπεξέπεμψεν. Omnes fere commentatores ὅ recte interpretati sunt δι ὅ contra scholiastae explicationem: τὸ εἶναί με νεώτατον ὑπεξ. με γῆς. Subiectum igitur ὅ habuit. Quod per se quidem bene fieri potest, ut Sup. 163 εὐψυχίαν ἔσπευσας ἀντ' εὐβουλίας, ὃ δή γε πολλοὺς ὤλεσεν, et Phoe. 1423 τὸν νοῦν πρὸς αὐτὸν οὐκ ἔχων, ὃ καί νιν ἔσφηλεν., sed Hermannus bene opponit: Illis in locis quod additum est verbum, simpliciter effectionem notat; a quo valde diversum ὑπεξέπ., quod hominis proprium est ad efficiendum causa aliqua commoti. — Eodem sensu causali intelligo: Cyc. 332 ἁγὼ οὔτινι θύω. Phoe. 154 ὃ καὶ δέδοικα, μὴ σκοπῶσ' ὀρθῶς θεοί. 263. And. 650 τίκτειν παῖδας ἐχθίστους ἐᾷς. ἁγὼ προνοίᾳ τῇ τε σῇ κἀμῇ κτανεῖν θέλων τήνδε. Matthiaei interpretatio Pflugkio probata, poetam orationem sic instituisse, ac si pergere vellet ἃ ἐγὼ παύειν θέλων τήνδε ἔκτανον quaesitior est, quam ut eam usui illi praeferamus, nec non Ion 584 ὃ δ' ἦξας ὀρθῶς, τοῦτο κἄμ' ἔχει πόθος, ὅ = δι ὅ accipiendum esse credo.

οἷον. Hip. 558 ἕρπει. Ion 1475 ἀνελέγχομαι. Tro. 824 βοᾷ.

οἷα. And. 614 ἐφύβρισας. Ba. 284 ἀντεμηχανήσατο. 1248 ἐδράσατε. Med. 1242 οἷ' ἐξ ἐμοῦ πέπονθας οἷά τ' εἰργάσω. And. 195 λέγεις.

ὅσον. And. 805 στένει. Ba. 112 ἐτύγχανε πνέων. Ion 1096 κρατοῦμεν. El. 71 εἰς ὅσον σθένω. And. 974 ὅσα εἰς ἔμ' ὕβρισεν.

Pronominum τί et τὶ exempla exhibere omitto; usus

eorum notissimus est neque a ceterorum scriptorum dictione distat.

B. Adiectiva.

a. Singularis. *μέγα* persaepe adverbialiter legitur. And. 1082 *ἰσχύειν*. Rhe. 69 *σθένειν*. Med. 292 *στένειν*. I. T. 932 *στενάζειν*. I. A. 125 *φυσᾶν*. Or. 800 *φρονεῖν*. Hip. 6, Phoe. 41, I. T. 491, H. f. 473. Her. 353 *αὐχεῖν*. Rhe. 441. And. 797 *ἀλγεῖν*. Ba. 630 *πνεῖν*. Tro. 1243 *ὀλβισθείς*. Hip. 1100 *μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήματα λύπας παραιρεῖ*. — Hec. 489 *ὦ μέγ' ὄλβιος*. Or. 1330. 1701 *ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη*. Phoen. 1765. I. T. 1465. Pluralem *μεγάλα* duobus locis repperi. And. 386 *πράσσειν*. Tro. 1268 *ὦ μ. ἀμπνέουσα Τροία*. Omnino apud attici sermonis scriptores raro occurrit, cum apud Homerum saepe legatur. Idem valet de singulari *πολύ*, qui ad verba sensu adverbiali numquam fere accedit. Med. 935 *δῶρα ἃ καλλιστεύεται πολύ* propter superlativum, qui verbo inest, *πολύ* positum esse videtur; nam ad comparativum et superlativum augendos vocem saepissime adhiberi notum est. *Πολλά* autem tam saepe usurpatur, ut multis exemplis enumerandis supersedeam. Cf. Med. 122 *κρατοῦντες*. Phoe. 553 *μοχθεῖν*. Tro. 835, Heracl. 449. Med. 576 *π. πολλοῖς εἰμι διάφορος*. — Iam ab his, quae nota sunt, ad alias dictiones transeamus. El. 1070 *νέον ἀνδρὸς ἐξωρμημένον*. Her. 477 *εἴσω ἥσυχον μένειν δόμων*. Rhe. 132 *ἥσ. εὕδειν*. Her. 795 *μῶν τι κεδνὸν ἠγωνίζετο*. 830 *ἐπεὶ δ' ἐσήμην' ὄρθιον*. 1018 *παραινέσαι σοι σμικρὸν θέλω*. I. T. 657 *ἔφθης με μικρόν*. Pluribus in exemplis *ἴσον* occurrit. And. 662 *ἴσον ἀνήρ τε καὶ γυνὴ σθένει*. Ion 1366 *ἴσ. γάρ σ' ὡς τεκοῦσ' ἀσπάζομαι*. H. f. 665 *ἴσον ἅτ' ἐν νεφέλαισιν ἄστρων ναύταις ἀριθμὸς πέλει*. Hip. 302 *ἴσον δ' ἄπεσμεν τῷ πρίν*. Hel. 800 *ἐῤῥύεθ' ἡμᾶς τοῦτ' ἴσον ναοῖς θεῶν*. I. A. 637 *ἴσον ὑπὲρ ἀμφοῖν λέγεις*. Phoe. 545 *ἡλίου τε φῶς ἴσον βαδίζει τὸν ἐνιαύσιον κύκλον*. — 26 *σφυρῶν σιδηρᾶ κέντρα διαπείρας μέσον*. Hermannus, ut verbo cum *διά* composito satisfaciat, *μέσων* scribi vult. Pflugkius recte

codicum scripturam defendit, *μέσον* adverbialiter excipiens „mitten hindurch“. Ac ne quis in vocis *μέσον* usu tali offendat, ipse locum Odysseae laudat ξ 299 *ἡ δ' ἔθεεν μέσον ὑπὲρ Κρήτης.* — Or. 383 *ὦ παράλογον φανεῖσ' ἀμορφία.* 1538 *ὀξὺ γὰρ βοῆς ἀκοῦσαν Ἄργος ἐξεγείρεται.* 1103 *γυναιξὶ πιστεύω βραχύ.* Phoe. 1413 *ἐμπνέων βραχύ.* Tro. 1237 *διαφέρων βρ.* Hip. 1357 *προὔπτον εἰς Ἅιδου στείχω.* 1205 *φρικῶδες ἀντεφθέγξατο.* Sup. 801 *σὺν τέκνοις κοινὸν καταβᾶσα.* 106 *στενάζων οἰκτρόν.* Med. 1173 *στεν. δεινόν.* 1153 *ἁβρὸν βαίνοντες.* Cyc. 161 *ὀλίγον φροντίσας δεσποτῶν.* 508 *καλὸν ὄμμασιν δεδορκὼς καλὸν ἐκπερᾷ μελάθρων.* Tro. 1230 *Τροία τῶν πόλεων ἔκκριτον μισουμένη.* 204 emendatio certissima facta esse mihi videtur *νέατον τεκέων σώματα λεύσσω* pro *νέα τοι*, quae verba sensu carent. Vox *νέατος* pro *ὕστατος* dicitur, cf. Soph. Ant. 807 *τὰν νεάταν ὁδὸν στείχουσαν, νέατον δὲ φέγγος λεύσσουσαν.* —

Adiectivi ad adiectivum adverbialiter positi exempla sunt: I. A. 328 *πονηρῶν γλῶσσ' ἐπίφθονον σοφή.* Hec. 575 *ἡ περίσσ' εὐκάρδιος.* Or. 690 *ὅταν γὰρ ἡβᾷ δῆμος ὅμοιον ὥστε πῦρ κατασβέσαι λαβρόν.* Poeta pro *ὅμ. λαβρός*, quod scribendum erat, neutrum attractione ad *πῦρ* effectum posuit. Cf. *μέγα* p. 23.

Ad superlativum augendum praeter *πολύ* alia adhibentur: Alc. 456 *πολὺ γυναῖκ' ἀρίσταν.* 754 *ὦ μέγ' ἀρίστη.* 802 *τὴν πλεῖστον ἡδίστην θεῶν.* Med. 1312 *ὦ μέγιστον ἐχθίστη γύναι.* — Singularem adiectivorum apud verba dicendi et faciendi videas infra.

b. Pluralis.

Verba dicendi. Apud ea et verba faciendi adiectiva plane naturam obiecti transitivi habent saepeque difficile est ad diiudicandum, utrum obiectum iis inesse voluerit poeta an adverbialem notionem iis tribuerit.

λέγειν. Alc. 538 *ἄσημα.* 805 *ὀρθά.* Cyc. 269 *ψευδῆ.* Or. 385 *κακά.* And. 638 *αἰσχρά.* Ba. 362 *μῶρα.* 469 *σοφά.* I. A. 650 *συνετά.* 500 *γενναῖα.* 1132 *τλήμονα.* I. T. 332

θαυμαστά. Tro. 964 *ἔνδικα.* H. f. 1173 *δεινά.* Phoe. 920 *πολλὰ κακά.* Hel. 1521 *ἄπιστα.* Or. 402 *εὐπαίδευτα.* Hec. 513 *φίλα.* 1167 *χρηστά.* 1184 *τἀληθῆ.* Singularis multo rarius legitur. Hel. 125 *κακόν.* 1048 *σοφόν τι.* Or. 292 *καινόν τι.*

εἰπεῖν contrarium usum sequitur et potius cum singulari construitur. Hec. 660 *τὸ καινόν.* 959 *ἴδιόν τι.* Hip. 278 *θαυμαστόν.* 1042 *ἄξιον.* Sup. 294 *καλόν τι.* I. T. 728 *δίκαιον.* 996 *δεινόν.* Ba. 207 *νεώτερον.* Cyc. 564 *χαλεπὸν τόδε.* Hel. 125 *κακόν.* 1042 *ἀδύνατον.* El. 274 *αἰσχρόν.* Pluralis. Sup. 861 *ἀληθῆ καὶ δίκαια.* I. A. 444 *ἄνολβα.* 1024 *σώφρονα.* Tro. 712 *κακά.* Her. 464 *γενναῖα τάδε.* Hel. 807 *ἄνανδρα.* Ba. 664 *ὅσῳ δεινότερα.*

θροεῖν. I. A. 142 *εὔφημα.* 1345 *οὐ ψευδῆ.* Rhe. 444 *φίλα.*

φωνεῖν. I. T. 675 *εὔφημα.* H. f. 1171. Sup. 460 *περισσά.*

Or. 159 *ἄδικος ἄδικα ἔλακεν.* — El. 350 *φασὶ δ' οὐκ ἄπιστ' ἐμοί.* — I. A. 118 *σύντονα δ' αὐδῶ.* — Hec. 190 *φθέγγει ἀμέγαρτα κακῶν.* And. 1125 *δεινὸν καὶ φρικῶδες.* Hip. 1205. — 118 *μάταια βάζει.* — 1055 *κατηγορεῖ σου πιστά.* — I. A. 1346 *δεινὰ βοᾶται.* — I. T. 1136 *τί φροιμιάζῃ νεοχμόν;*

Verba faciendi. *πράσσειν.* Or. 528 *ἐναντία.* 531 *ἔνδικα.* 1230 *δίκαια.* Alc. 616 *κεδνά.* And. 836 *μεγάλα.* Sup. 325 *σκοτεινά.* El. 1352 *εὐδαίμονα.* I. A. 1103 *ἀνόσια.* I. T. 656 *κοινά.* Ion 1175 *πρόθυμα.* H. f. 506 *ὀνομαστά.* Hip. 1315 *δεινά.* Hec. 1229 *τὰ μὴ καλά.* Singularis cum hoc verbo raro coniungitur. Tro. 449 *σεμνόν τι.* 685 *κεδνόν τι.*

δρᾶν. Hec. 1167 *χρηστά.* Or. 767 *ἔνδικα.* 556 *ἀνόσια.* 1060 *γενναῖα.* Hip. 406 *αἰσχρά.* 1079 *ὅσια.* Ba. 706 *δεινά* 657 *δεινὰ θαυμάτων τε κρείσσονα.* Her. 138 *δίκαια.* I. A. 395. Hel. 1299 *τὰ πρόσφορα.*

Sing. Or. 604 *κακόν τι.* 930 *τοὐναντίον.* Cyc. 655 *μάταιόν τι.* Ion 851 *γυναικεῖόν τι.* H. f. 1186 *ἐσθλόν τι.*

And. 721 φλαυρόν τι. 932 ὑγιὲς οὐδέν. Ba. 365 μηδὲν νέον. Cum singulari semper aliam vocem coniungi observaveris.

ἐργάζεσθαι. Hec. 1232 κακά. El. 1170 ἀνόσια. Or. 338 δεινά. Med. 295 μεγάλα κακά. 1283 τὰ δεινά.

ποιεῖν. Quo verbo raro poeta usus est. And. 725 ἐχθρά. Alc. 1111 ἁνδάνοντά μοι.

Verba eundi. Tro. 820 ἁβρὰ βαίνων. Ba. 424 οὐδ' ἄκρανθ' ὡρμήσαμεν. Ion 726 λαιψηρὰ πηδᾷ. H. f. 113 ἐστάλην — τρομερὰ μέν, ἀλλ' ὅμως πρόθυμα. Phoe. 1133 ἐπίσημα πῶλοι ἐσκίρτων. 1740 ἀπαρθένευτ' ἀλωμένα i. e. praeter mores virginis.

φρονεῖν. Ba. 389 θνητά. Med. 1118 ὀρθά. I. A. 327 πλάγια. 1422 γενναῖα. El. 1202 ὅσια. Hip. 309 γνήσια. fr. 916 περισσά. And. 447 ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές. Her. 386 μικρόν. Hip. 927 τἄδικα.

Verba tolerandi. I. A. 98 τλῆναι δεινά. 941. Ion 1503. I. T. 605 τὰ δ. — I. A. 931 παθοῦσα σχέτλια. Phoe. 468 ἄδικα. Ion 969. Or. 819 τολμᾷς ὅσια. I. A. 133 δεινά. Phoe. 1668 μάταια μοχθεῖς. 553 πολλά. Hel. 669 κάκ' ἀλγοίην ἔτι. — ἀνόνητα saepius pro adverbio positum est. Alc. 425 ἐνύμφευσας. Hip. 1134 ἔτεκες. Alc. 749. El. 506 ἔθρεψας. H. f. 714 ἱκετεύουσα.

Ion 1200 ἄτρεστα ναίουσιν. 1507 οὐχ ὅσι' ἔθνησκες. 644 μέτρια λυπούμενος. 265 ἀνερεύνητα δυσθυμεῖ. 1374 κρυφαῖα νυμφευθεῖσα. And. 1175 διάδοχα δακρύειν. Ba. 155 εὔια τὸν εὔιον ἀγαλλόμεναι θεόν. 1061 ἀτρέμα φυλάσσων. Hel. 456 ἀνάξι' ἠτιμώμεθα. Sup. 817 σφαγεὶς ἄξια. 774 ἄκραντ' ὀδύρει. 779 ἔρημα κλαίει. H. f. 1043 ἀτρεμαῖα αἰάξετε. Phoe. 337 σκότια κρύπτεται. 348 ἀνυμέναια ἐκηδεύθη. 381 ἄνομα τεκεῖν. 312 ἄελπτα κἀδόκητα φανείς. I. T. 201 σπεύδει ἀσπούδαστα I. A. 996 σεμνὰ σεμνύεται. 461 ἀναβοήσεται οὐ ξυνετά. 942 ἀνάξι' ἠτιμασμένη. 1054 εἱλισσόμεναι κύκλια. H. f. 61 στρατηλατήσας κλεινά. 383 πῶλοι ἀχάλιν' ἐθόαζον κάθαιμα σῖτα, satis quaesita dictio; nam ἀχάλ. i. e. frenis solutus magnam aviditatem depingit, qua equi cibum cruentum agitabant i. e. devorabant. 889 ἄκραντα βακχεύσει. Hip. 1352 πρόσφορά

μ' αἴρετε, σύντονα δ' ἕλκετε. Cyc. 648 ἰὼ ἰώ, γενναιότατα ὠθεῖτε, σπεύδετε. Hermannus vocativum γενναιότατοι scripsit, qui articulo non addito offensionem habere mihi videtur. Med. 122 ὀλίγ' ἀρχόμενοι πολλὰ κρατοῦντες. Tro. 350 ὀρθὰ πυρφορεῖς. 742 περισσὰ τιμηθείς. 1193 βέβαια χαίρειν. Or. 150 χρόνια πεσὼν εὐνάζεται. 248 μένε ἀτρέμα. 793 σμικρὰ φροντίζων ὄχλου. 1261 δόχμια κόρας διάφερε. 874 τὸν δ' ὥστ' ἀδελφὸν ἴσα φίλῳ λυπούμενον (ὁρῶ). Quam omnium ceterorum librorum scripturam nescio cur Pflugkius unius cod. Marciani, illius quidem optima auctoritate tentare eiusque lectionem φίλον defendere studeat. Constructio enim, quam verbis inesse vult: hunc autem ita affectum video, ut non minus quam fratér, quum esset amicus, aegrimonia affectus esset, coniunctis inter se ὥστ' ἴσα, multo difficilior est ea, quae servato φίλῳ ultro se offert: video eum, quasi sit illius frater, eadem de causa ut amicum lacrimantem. Illud si poeta dicere voluisset, particula aliqua velut ὅμως oppositionem, quam tum φίλον contineret, eum notaturum fuisse credo, neque persuasit mihi Pflugkius, verba ὥστ' ἴσα idem sibi velle, quod aliis locis particulas comparativas ἴσον ὡς, ἴσον ἅτε, quae ipsa verborum positione ab illis differunt. — El. 994 σεβίζω σ' ἴσα καὶ μάκαρας. Ba. 413 ἴσα δ' εἴς τε τὸν ὄλβιον τόν τε χείρονα δῶκ' ἔχειν οἴνου τέρψιν, ubi recte manus secundae recensio ἴσαν, quae contra ipsum metrum facit, reicitur.

Praeter locos, quibus articulus exstat, antea iam laudatos, animadverteris hos: Ba. 70 τὰ νομισθέντα ἀεὶ Διόνυσον ὑμνήσω. Alc. 1031 τὰ κοῦφα — τὰ μείζονα νικᾶν. Hip. 111 ὅπως τὰ πρόσφορα γυμνάσω (αὐτούς). I. A. 1600 τὰ πρόσφορ' ηὖξαθ'. El. 807 τἀναντί' εὔχετ'. Phoe. 178 τὰ δεινὰ ἐφυβρίζει πόλει. Ion 370 τὰ κοινὰ χαίρων οὐ δίκαια δρᾷ i. e. communi (amborum parentum) gaudio solus gaudens.

C. Substantiva.

Cuius constructionis rationem eandem atque pronominum et adiectivorum esse iam diximus. Profecti sunt accusativi, qui nunc sequentur e genitivis, accusativo immanenti a stirpe

verbali formato attributive appositis. Eiectis autem accusativis genitivorum loco accusativus ponendus erat.

Atque primum huc spectant multae illae dictiones, quae verbis ad sacrificia aliasque caerimonias pertinentibus factae sunt: H. f. 1011 *τάλανι κόρῳ Πρόκνης φόνον ἔχω λέξαι θυόμενον Μούσαις*. Matthiaeus adnotat: Proprie ipse Procnae filius *ἐθύετο*. Pro eo *φόνος θύεσθαι* dicitur et cum haec immolatio postea carminibus celebraretur *θύεσθαι Μούσαις*. Revocanda est formula ad *φόνον* vel *φονικὸν θῦμα θύειν* ein Mordopfer opfern. 226 *τί θύω καθάρσιον πῦρ;* I. T. 1299 *ἀπόῤῥητον φλόγα θύουσα καὶ καθαρμόν* ein Feuer- und Reinigungsopfer opfern. Jon 665 *γενέθλι' οὐκ ἐθύσαμεν* Geburtsopfer opfern. 813 *παιδὸς προθύσων ξένια καὶ γενέθλια.* El. 1132 *παιδὸς ἀριθμὸν ὡς τελέσφορον θύσω.* Non de taurorum aut alius pecudis numero cogitandum est, sed de diebus, quorum decimo pro infante nato diis sacrificium instituebatur. Cf. v. 1125.

Sup. 376 *ἆρα φίλιά μοι τεμεῖ;* Hel. 1235 *σπονδὰς τεμῶμεν.* Conferri possunt cum Homeri illo *φιλότητα καὶ ὅρκια τέμνειν*, quae sententia ut intelligatur, ad verbum trans. *τέμνειν* supplere necesse est obiectum *ἱερά* scl. victimas, quae ad foedus vel amicitiam confirmanda diis mactabantur. — Similiter dictum est Med. 1129 *ἣν πολὺς λόγος σὲ καὶ πόσιν σὸν νεῖκος ἐσπεῖσθαι τὸ πρίν*, ubi suppleas *οἶνον* i. e. libatione iram componere.

Plane insolens et mirabilis dictio legitur Her. 758 *μέλλω κίνδυνον πολιῷ τεμεῖν σιδάρῳ.* Marklandus interpretatus est: Secando facere proelium (sive periculum) ferro i. e. ense, quo caeduntur hostes, in proelio periclitaturus sum.

Alia verba, quae huc spectant, sunt H. f. 841 *ἑστιᾷ γάμους* einen Hochzeitsschmaus geben. I. A. 123 *παιδὸς δαίσομεν ὑμεναίους*, 705 et 719 *ἔδαισαν γάμους.* Hel. 1440 *συνδαίσας γάμους*, quae omnia idem sibi volunt, scl. nuptias epulis celebrare.

Verbis vincendi et pugnandi nonnumquam talis acc. adiungitur. Hip. 1013 *ἀγῶνας κρατεῖν* einen Kampfsieg

siegen. I. T. 942 *νικῶν φόνια πειρατήρια* „siegreich im hochnothpeinlichen Halsgericht". Weckl. — El. 860 *νίκας στεφανηφορίαν κρείσσω (τοῖς) παρ' Ἀλφειοῦ ῥεέθροις τελέσας*. Quae codicum lectio construi non potest. Plurimi editores Dindorfii coniecturam receperunt, qui scribit *νικᾷ στεφ. οἵαν παρ'* sq., vocem *οἵαν* propter antecedentes syllabas *ριαν* excidisse statuens. Qua ratione accusativus immanenter cum *νικᾷ* cohaeret. Quae mutatio vereor ut probari possit, quia voce *κρείσσω* egere non posse mihi videmur; sensus enim melius procedit, si Orestes non eiusdem, sed maioris honoris victoriam quam Olympicam reportavisse dicitur, ut ipsa Electra postea v. 881 eum laudat: *ἥκεις γὰρ οὐκ ἀχρεῖον ἔκπλεθρον δραμὼν ἀγῶνα ἀλλὰ πολέμιον κτανὼν* sq. Quapropter lenem Weilii mutationem *νικᾷ στεφανηφοριᾶν* acceperim, qua omnia bene absolvuntur, siquidem verba construimus: *νικᾷ τελέσας (στεφανηφορίαν) κρ. στεφανηφοριᾶν (τῶν) παρ'*. — And. 336 *σὺ τόνδ' ἀγωνιεῖ φόνον* in caede defendenda decertabis. — Hec. 271 *τῷ μὲν δικαίῳ τόνδ' ἁμιλλῶμαι λόγον.* Pflugkius vertit: Gegen das Recht trete ich mit diesen Worten in die Schranken. Quod versui inesse non potest, quia tum Hecuba Graecis filiae suae interficiendae ius tribueret, quod multum ab ea aberat quodque tota hac oratione impugnare studet. Itaque verba intelligo: für das Recht etc. scl. iuri humanitatis, quod Hecuba sibi ut captivae vindicabat quoque Graeci filiam sine causa tam crudeliter caedere vetabantur. Verbum *ἁμιλλ.* sine obiecto usurpatum defenditur Hel. 165 *ποῖον ἁμιλλαθῶ γόον;* Nam hic quoque acc. immanens est. Hel. 547 *σὲ τὴν ὄρεγμα δεινὸν ἡμιλλημένην τύμβου 'πὶ κρηπῖδα.* Hesych. *ὄρεγμα: ὅρμημα.*

Ba. 786 *φόνον πολὺν ταράξας* i. e. *φονικὴν ταραχὴν ποιήσας.*

Sup. 1213 *ᾗ δ' ἂν τρώσῃς φόνον* ubi mortiferum vulnus inflixeris.

Phoe. 1436 *τετρωμένους δ' ἰδοῦσα καιρίους σφαγὰς ᾤμωξεν.*

1305 *πέσεα δαΐ' αἱμάξετον.* Matth.: Involvitur efficiendi

universa notio, unde acc. denotat id quod τῷ αἱμάσσειν i. e. caedendo efficitur

Or. 1472 παίειν λαιμῶν ἔσω ἔμελλεν μέλαν ξίφος. Dubitari potest, num obiectum habendum sit ξίφ. pendens transitive e παίειν. Revera autem non ξίφος παίεται, sed λαιμοὶ παίονται et intelligenda sunt verba: einen Schwertschlag schlagen.

Hic quoque nescio an afferri possint Or. 273 εἴργασται ἐμοὶ μητρῷον αἷμα et 1139 αἷμ' ἐπράξαμεν. Nam verborum illorum, quamquam hic vim transitivam habere videntur, ut αἷμα pro φόνος dictum sit, notionem intransitivam propriam esse iam monuimus: „eine Blutthat thun."

El. 693 εὖ πυρσεύετε κραυγὴν ἀγῶνος τοῦδε. Matth.: Clamorem edite, qui certaminis exitum instar facis accensae significet. Reiskius: Tumultum, qui a luctantibus (Oreste et Aegistho) orietur, mihi indicate. Altera igitur in versione κραυγήν immanenter, altera obiective definitur, quarum illam praefero. Electrae enim non interest, clamorem et tumultum pugnae, immo ipsius pugnae eventum noscere. Κραυγὴν πυρσεύειν est clamore signum dare; accusativo illo verbi propria notio „ignibus accensis signum dare" apte mutatur locoque accomodatur. Ad ἀγῶνος τοῦδε gen. obiect. cf. Alc. 380 πένθος τῆσδε luctus de hac muliere.

Or. 374 τῶν σῶν γονάτων πρωτόλεια θιγγάνω ἱκέτης. Πρωτ. proprie praedarum primitiae sunt, quae diis offerebantur. Male Matth. construit τῶν σ. γον. θιγγ. ἅ ἐστι πρωτ. τῶν ἐμῶν λόγων.

Hel. 947 δακρῦσαι βλέφαρα Augenthränen weinen.

Ba. 1136 δάκρυα νικηφορεῖν i. e. δακρυόεσσαν νίκην φ.

Or. 1042 τέρπου κενὴν ὄνησιν εἰ τερπνὸν τόδε.

Heracl. 990 Ἥρα με κάμνειν τήνδε τὴν νόσον ἔθηκεν.

Jon 632 ἀπαιδίαν νοσεῖν, causa non est, cur dativus ponatur.

I. A. 210 ἅμιλλαν δ' ἐπόνει ποδῶν.

Hec. 797 τἄλλα μὲν μαθήματα μοχθοῦμεν.

Phoe. 1678 εἶδες τὸ τόλμημ' οἷον ἐξωνείδισεν.

Hipp. 1271 βασιληίδα τιμὰν κρατύνεις.

I. A. 155 λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠώς. Recte Pflugkius et Weilius φῶς ad laternam v. 34 commemoratam, quae omnino in scaena conspici non posset, referendum esse negaverunt, id quod alii statuunt, quasi facis lumen aurora obscuratum sit. Construenda sunt verba λευκαίνει τόδε φῶς ἠώς et φῶς ipsa lux est, quam aurora fundit.

I. T. 157 ᾧ τάσδε χοὰς μέλλω κρατῆρά τε τῶν φθιμένων ὑδραίνειν. Acc. χοάς transitive, κρατῆρα immanenter ex ὑδρ. pendet.

Cyc. 414 ἄμυστιν ἑλκύσας einen grossen Zug thun. Pollux et scholiasta ἄμυστιν proprie poculi magni nomen fuisse docent.

Med. 129 τὰ δ' ὑπερβάλλοντ' οὐδένα καιρὸν δύναται. Non sensu temporali cum Pflugkio accusativum intellexerim, sed dictus esse mihi videtur pro οὐδεμίαν καιρίαν δύναμιν. Bothius bene vertit: immodica nullo cum fructu valent.

Phoe. 575 καὶ σκῦλα γράψεις πῶς ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς; Sunt qui κεὶς scribendum esse contendant, qua emendatione opus non est. Verborum sensus est: τίνα σκύλων γραφὴν γρ. Sequitur inscriptio v. 676.

Multos locos, quibus praeter immanentem alter acc. personae exstat et accusativum apud passivum in duplicem acc. distuli, ut ea pars, in qua modo versati sumus et in qua poetam pro eius liberas constructiones formandi studio non tam uberem quam in aliis casus partibus se praebuisse quis contenderit, inde multum et varie augeri possit. Interim autem ea mittamus et ad certa verborum genera nos convertamus, quorum structurae maxime variae ad accusativum modo tractatum pertinent. Seiunxi ea, quia inter se composita melius expediuntur.

V e r b a e u n d i e t s i m i l i a. Atque primum quidem in medium proferendus est mirus ille acc., quem Euripides saepius adhibuit, cum ceteri poetae, velut Sophocles raro eo usi sint, dico accusativum π ό δ α apud verba eundi. El. 94, 1173 βαίνουσιν ἐξ οἴκων πόδα. Her. 168 εἰς ἄντλον ἐμβήσει

πόδα. 802 *ἐκβὰς τεθρίππων ἁρμάτων π.* I. T. 638 *εἰς πάτραν π. ἐπεμβάσει.* Ita Elmsleyus quidem eleganter pro *ποτ'* scripsit. Alc. 1156 codd. discrepant inter *νόστιμον ἔλθοις πόδα* et *ν. ἐ. ὁδόν.* Utraque lectio ferri potest et quaenam recta sit, vix quisquam probaverit. Mutatione autem *ποδί,* in quam nonnulli editores propensi fuerunt, opus non est. Derivanda est poetica illa dictio e formula *ποδὸς βάσιν βαίνειν.*

Eodem modo dictum est Med. 724 *ἐκ δ' αὐτὴ τῆσδε γῆς ἀπαλλάσσου πόδα.* *'Απαλλάσσεσθαι* est proficisci, abire. Grammatica igitur offensio verbis non inest, neque Nauckii dubitationes curaverim, qui hunc versum repetitionem verborum antecedentium continere et eiciendum esse arbitratur. Repetitio enim illa non supervacanea aut molesta est, immo cum gravitate haec verba dicit Aegeus et postquam antea, sese Medeam, si ipsa et ultro ad se venerit, defensurum esse professus est, iam eam exhortatur, ut terram (scl. Corinthum) relinquens Athenas sese convertat.

Alc. 882 *οὔτ' ἐπὶ γαίας πόδα πεζεύειν. πεζ.* est pedibus ire. Hel. 527 *παντοδαπᾶς ἐπὶ γᾶς πόδα χριμπτόμενος* i. e. appropinquans. — Non *πόδα* solum ita adhibitum esse apparet e Phoe. 1417 *προβὰς δὲ κῶλον δεξιόν.* Or. 1470 *Μυκηνίδ' ἀρβύλαν προβάς*, quae analogia illa fretus liberius poeta dixit. *'Αρβύλη* enim non pedis significationem continet, sed calceus est, quo Orestes ingreditur. Consulto fortasse poeta quaesitum huius vocis usum statuit, quo magis eam efferret; nam Weilius recte adnotat, rusticum et gravem hunc calceum oppositum esse teneris et levibus reginae soccis, quorum modo mentio facta est (*χρυσεοσάνδαλον ἴχνος*).

Non confundenda cum his sunt verba transitiva, quae addito acc. *πόδα* intransitivam notionem accipiunt: Hec. 53 *περᾷ γὰρ ἥδ' ὑπὸ σκηνῆς πόδα.* 1050 *πᾷ πόδ' ἐπᾴξας;* Or. 1336 *διώκω τὸν ἐμὸν εἰς δόμους πόδα:*

El. 858 *νεβρὸς οὐράνιον πήδημα κουφίζουσα.* Sup. 1050 *ὄρνις τις ὡσεὶ δύστηνον αἰώρημα κουφίζω.* Utroque loco verbum intransitivum est. Cf. Soph. Ai. 1287 *ἅλμα κουφιεῖν,*

quae vertit Escher: sich eine Sprungerhebung (im Sprung) erheben.

I. T. 397 ἔπλευσαν νάιον ὄχημα. Hermannus ὄχημα non vehiculum sed vectionem esse contendit, iniuria ut mihi videtur; nam ὄχημα semper sensu concreto legitur et accusativus eadem ratione expediendus est, qua in πόδα βαίνειν, ich fahre eine Schiff-fahrt.

Verbum τρέχειν saepius cum acc. ἀγῶνα coniungitur. El. 881 ἀχρεῖον ἔκπλεθρον ἀγῶνα δραμών. Or. 870 ἀγῶνα θανάσιμον δραμούμενος. I. A. 1455 δεινοὺς ἀγῶνας δραμεῖν. Alc. 505 οὐ τόνδ' ἀγῶνα πρῶτον ἂν δράμοιμ' ἐγώ. 519 τόνδ' ἔρχομαι τρίτον ἀγῶνα. Notio luculenta est, desumpta de ludis gymnasticis, einen Kampfwettlauf laufen, quod metaphorice de periculis et morte variatur.

Hel. 21 ὑπ' αἰετοῦ δίωγμα φεύγων, eine verfolgte Flucht fliehend. Phoen. 213 Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ κάλλιστον κελάδημα. Recte Hermannus accusativum ex ἱππ. pendere voluit contra alios, qui verba illa appositionem habuerunt. Zephyrus igitur equitans pulcherrimum strepitum efficere dicitur.

Ion 1240 τίνα φυγὰν πτερόεσσαν πορευθῶ;

And. 303 παρέλυσε δ' ἂν Ἑλλάδος ἀλγεινοὺς μόχθους, οὓς ἀμφὶ Τροίαν δεκέτεις ἀλάληντο. Μόχθους ἀλᾶσθαι mit Mühsal beladen umhergetrieben werden. Ceteroquin utrum in hoc an in strophae versu vitium insit editores dubitant.

Locus difficillimus est Ion 52 νέος μὲν οὖν ὢν ἀμφιβωμίους τροφὰς ἠλᾶτ' ἀθύρων. Hermanni explicationem: „quasi dicas ἠλᾶτο ἔχων vel εἶχεν ἀλώμενος" probare non possum, quia explicatio non est; talibus enim participiis aliisque vocibus omissis vide ne omnes difficultates removeri possint, quibus subtilior quaedam ratio insit. Quo modo locus construendus sit, equidem non perspicio; sensus, si quidem verba integra sunt, esse videtur: er lebte in der Fremde (cf. Phoen. 1707) von der vom Altare ausgehenden Pflege. Vir doctissimus Badham scribit ἀμφὶ β. adnotans: ἀμφί depends not upon ἀθύρων but upon ἠλᾶτο, which includes the two notions

of wandering and begging, the latter being in this place the more promiment.

Nonnumquam verba, quae motum significant, cum acc. construuntur ita, ut ad sollemnitates et choreas pertineant, quibus dii vel nuptiae celebrabantur. Sup. 74 ἴτ', ὦ ξυναλγήδονες, χορὸν τὸν Ἀΐδας σέβει. Coniungenda sunt ἴτε χορόν, im Reigenschritt einhergehen; nam quemadmodum ex Hermanni sententia χορόν cum αἱματοῦτε in v. 78 construendum sit, non video neque sensum verborum hoc modo expedire me posse confiteor.

Ion 507 ἵνα χοροὺς στείβουσι ποδοῖν.

I. T. 1120 παρθένος — παρὰ πόδ' εἱλίσσουσα φίλας ματέρος ἡλίκων θιάσους. Summa horum verborum difficultas inest in παρὰ πόδα, quae Seidlerus „coram“ interpretatur, idemque Pflugkius voluisse videtur adnotans: „ante pedem matris. Matronae in choreis puellarum altioribus suggestis videntur consedisse.“ Et haec sola ratio verba illa, qualia exstant, expediendi est. Nam quod Weckleinius dicit „neben der lieben Mutter“, et matrum et filiarum chorum una saltavisse suspicatus, nimis incertum est. Hermannus vehementur Seidleri illam interpretationem ut ineptam vituperans, quemvis, qui haec verba audivisset, πόδα cum εἱλ. coniuncturum fuisse contendit. Sed dubito, num ita de auditoribus iudicare liceat. Nam etiamsi formula πόδα εἱλ. legitur, non tam sollemnis facta est, ut hic πόδα ad praepositionem antecedentem trahi non posset. Et pluribus locis sine πόδα quam cum hac voce verbum εἱλ. exstat. Deinde Hermannus quaerit, quid sit, quod mulieres ἡλίκων θιάσους εἱλ. dicantur, et multum de loco ratiocinatus depravatam esse lectionem statuit, quam pluribus et satis audacibus mutationibus etiam in stropha factis sanare studet. Quod frustra fecisse mihi videtur neque in εἱλ. θιάσους offensio est. Verbum enim intransitive saepius usurpatur (Phoe. 235 εἱλίσσων ἀθανάτας θεοῦ χορὸς γενοίμαν. Or. 1292. Ion 1166. I. A. 212) significans: celeriter se vertere, saltare. Θίασοι autem sunt pompae vel choreae plerumque in Bacchi honorem institutae; bene igitur verba inter

se conveniunt neque quaesiti quidquam in iis coniunctis inest, quae verterim „einen Thiasostanz tanzen." Quod confirmatur analogia verbi *χορεύειν* i. e. saltare, quod eadem ratione construitur. I. A. 1057 *γάμους ἐχόρευσαν* i. e. einen Hochzeitstanz tanzen. Phoe. 314 *πολυέλικτον ἁδονὰν ἐκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο περιχορεύουσα.* 1756 *ἱερὸν θίασον ὄρεσιν ἀνεχόρευσα.* Ba. 741 *πᾶς ἀναχορεύει τάδε ὄργια.* Phoe. 792 *κῶμον ἀναυλότατον προχορεύεις.*

Ita quoque interpretandum est: Ba. 66 *θοάζω Βρομίῳ πόνον ἡδύν.* Verbum *θοάζ.* intransitive adhibitum est notione saltandi (cf. Tro. 306. Or. 1551) et Hermannus adnotavit: *πόνος ἡδύς* est saltatio Bacchia.

Verbum *σπεύδειν*, qua est propria notione intransitiva acc. immanentem desiderat, quo accusativi illi nituntur, quos poeta ad verbum ut ad transitivum posuit velut Sup. 163 *εὐψυχίαν* i. e. *εὔψυχον σπουδήν.* I. T. 1320 *κλίμακας* scalas expedire. Med. 154 *θανάτου τελευτάν.* H. f. 1120 *ἀπόλεμον πόλεμον.* 398 *τἀμὰ φίλα.* Phoe. 583 *δύο κακώ.* Hel. 1630 *μεγάλα κακά.* Hec. 118 *τὸ σὸν ἀγαθόν.* 1153 *χάριν τὴν σήν.* Ion 461 *τὰς ἡδονάς.* Eiusdem generis est H. f. 281 *πῶς γὰρ οὐ φιλῶ, ἅτικτον ἁμόχθησα.*

Hoc loco accusativum *ὁδόν* coniunctum cum verbis eundi non omittendum esse, cum notionem „Gang", non „Weg, Strecke" habeat, monuit La Roche (D. Acc. bei Homer § 2) Alc. 273 *οἵαν ὁδὸν ἁ δειλαιοτάτα προβαίνω.* 621 *προσεῖπατ' ἐξιοῦσαν παννυστάτην ὁδόν.* 1156. And. 1098 *τίνος μ' ἕκατι κτείνετ' εὐσεβεῖς ὁδοὺς ἥκοντα.* Med. 1055 *ἀλλ' εἶμι γὰρ δὴ τλημονεστάτην ὁδόν.* Tro. 237 *πυκνὰς εἰς Τροίαν ὁδοὺς ἐλθών.* Ion 1228 *τὴν ἀθλίως σπεύσασαν ἀθλίαν ὁδόν.* etc. Quos locos ab acc. viae Kuehnerus non seiunxit.

Verba splendendi. Phoe. 226 *ὦ λάμπουσα πέτρα πυρὸς δικόρυφον σέλας.* Optime hic sensus immanens quadrat: glänzend (einen) im doppelten Feuerglanz. Pflugkius transitivam vim verbo tribuit sicut Hel. 1131 *Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς δόλιον ἀστέρα λάμψας* scl. Nauplius, Euboeae rex. Quamquam hic recte vis transitiva statuitur, tamen eam ad

locum illum non transtulerim, quia parum apte ipse mons ignem in cacumine suo splendentem accendisse dicitur. Intransitivi autem verbi usum exemplis illustrari non oportet. Cf. Ion 490. And. 764. 1000. I. A. 156.

Or. 1527 *ἄπεχε φάσγανον· πέλας γὰρ δεινὸν ἀνταυγεῖ φόνον.*

474 *ὁ δράκων στίλβει νοσώδεις ἀστραπάς.*

Ba. 8 *ὁρῶ δόμων ἐρείπια τυφόμενα Δίου πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα.* Sunt qui *ζῶσ. φλ.* appositionem habeant, quod male sensui convenire mihi videtur. *Τύφεσθαι* est fumare et hoc loco ruinas fumare dicit poeta ita, ut paullulum adhuc gliscant et ignis sub ruinis vigeat, quod in *τυφ. ζῶσ. φλ.* inest: „sie schweelen noch im feurigen Glimmen". Sin autem accusativum *ἐρείπ. τυφ.* ex *ὁρῶ* pendentem facimus et appositionem illam statuimus, inter se contraria dixerit poeta. „Nam non flammam ardentem videt Bacchus, sed fumum, testem ignis nondum penitus exstincti." Herm.

V e r b o r u m u r e n d i ita usurpatum est *φλέγειν* Phoe. 168 *ἑῴοις ὅμοια φλεγέθων βολαῖς ἁλίου* [1]). Duobus aliis locis notio verbi transitiva est Tro. 308 *φλέγω λαμπάσι τόδ' ἱερόν* i. e. illustro. Phoe. 241 *Ἄρης αἷμα δάιον φλέγει τᾷδε πόλει.* Metaphorice verbum exstat ut nostrum entzünden et scholiasta interpretatus est *πόλεμον διαγείρει.*

V e r b i f l o r e n d i exemplum laudari potest fr. 318. 3 *γῆ δ' ἠρινὸν θάλλουσα.*

V e r b a f l u e n d i. *ῥεῖν* c. acc. poeta non coniunxit, c. dat. Ba. 141 *ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι.* Tro. 451, 989, Hel. 1603. Transitive Hec. 525 *ἔῤῥει χειρὶ χοὰς θανόντι πατρί.* — *στάζειν* c. dat. Ion 884 *δακρύοισιν.* I. T. 300. Ba. 1152 *ἐν αἵματι*, c. acc. H. f. 1343 *ἀπ' ὀμμάτων ἔσταξα πηγάς.* Ba. 610 *ἱδρῶτα σώματος ἄπο.* Tro. 1187. Hip. 121 *Ὠκεανοῦ τις ὕδωρ στάζουσα πέτρα.*

---

1) Ad haec et sequentia verba adiectiva quoque attuli, quae p. 23 sq. iam afferenda erant.

528 ἔρως ὁ κατ' ὀμμάτων στάζων πόθον. Ita in lectione maxime dubia scripserim. Incertum autem est, ad quemnam spectent κατ' ὄμμ., ad deum, qui ex oculis amorem fundat, an ad amantem aut amatum, cuius in oculos fundatur. Equidem verba ad ipsius Amoris oculos revocaverim, eodem modo dicta ut I. A. 1466 οὐκ ἐῶ στάζειν δάκρυ. — Hel. 634 δάκρυ σταλάσσω. Hip. 734 ἔνθα σταλάσσουσι κόραι δακρύων τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς. Agitur de Phaethontis sororibus, quae fratrem interemptum miserantes in arbores mutatae esse narrabantur, quarumque lacrimae in electrum duratae sunt. And. 1018 σκηπτὸς σταλάσσων Ἄϊδα φόνον.

Verba spirandi. Alc. 509 πῦρ πνέουσι μυκτήρων ἄπο. I. T. 280 πῦρ καὶ φόνον πν. El. 702 Πᾶνα μοῦσαν ἡδύθροον πνέοντα. Rhe. 778 θυμὸν πν. I. A. 1324 ἀνταίαν πομπὰν πν. H. f. 854 κεραυνοῦ τ' οἶστρος ὠδῖνας πνέων. 1079 πνοὰς θερμὰς πνέω μετάρσι' οὐ βέβαια πνευμόνων ἄπο. Poterant adiectiva genere feminino ut θερμάς ad πν. attrahi, sed liberiorem magisque poeticam dictionem poeta praetulit, quam saepe non inveneris. Accurate autem verbis examinatis fieri non potest, quin duo accusativos immanentes cum verbo coniunctos esse statuamus. And. 189 οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα. 326 τοσόνδε πν. Ba. 630 μέγα. Alc. 210 ἐμπνεῖν σμικρόν. Phoe. 1424 βραχύ. Hip. 1235 βραχὺν δὴ βίοτον ἐμπνέων ἔτι. Tro. 1268 ὦ μεγάλα δήποτ' ἀμπνέουσα Τροία. Verbum φυσᾶν exstat: I. T. 295 κόχλους. I. A. 376 δεινά.

Verba spectandi pulcherrimas dictiones efficiunt. Or. 214 λεπτὰ γὰρ λεύσσω κόραις. 381 δεινὸν λ. — Phoe. 378 σκότον δεδορκώς. Cyc. 507 καλὸν ὄμμασι δεδορκώς. — Ion 753 ὅταν βλέπω βραχύ. fr. 509 ὀξύ. Alc. 785 τί σεμνὸν καὶ πεφροντικὸς βλέπεις; 270 Kirchhoffii coniectura ὑπ' ὄφρυσι κυαναυγὲς βλέπων, satis illa quidem elegans et poeta digna, num accipienda sit pro κυαναυγέσι, equidem non diiudicaverim; pendet haec quaestio e metro et versuum dispositione, quam alius editor alio modo constituit. Cyc. 548 ὅτι καλὸν βλέπω. I. A. 641 εὔκηλον. Ion 1265 ἔφυσας πυρὸς δράκοντ' ἀναβλέποντα φοινίαν φλόγα. Sup. 323 ὁρᾷς

ἄβουλος ὡς κεκερτομημένη τοῖς κερτομοῦσιν γοργὸν (vel γοργόν') ὡς ἀναβλέπει σὴ πατρίς; Quibus in verbis cum ὡς iteratum languet, tum ἄβουλος difficulter construitur. Multa difficultatis removendae causa proposita sunt, e quibus maxime mihi probatur Hermanni coniectura ἀβούλως. „Vides ut inconsiderate vituperant patriam tuam, qui ei Gorgoneum aspectum exprobrant", quae verba ad Atheniensium in bellis movendis celeritatem referenda sunt. Exhortatur enim Aethra Theseum, ne a bello cum Thebanis gerendo abhorreat; si iusta de causa geratur, opprobria, quae in Athenienses propter nimium bellandi studium conferantur, inania esse talibusque laboribus civitatem augeri.

Praeclare dictum est Med. 189 δέργμα λεαίνης ἀποταυροῦται δμωσίν sie blickt stier mit dem Blick einer Löwin. Quae verbi ἀποτ. notio probatur altera dictione, quae legitur v. 92 εἶδόν νιν ὄμμα ταυρουμένην. Solum ταυρ. vel ἀποτ. est: taurus fit, cui ὄμμα additur, ut persaepe corporis partes accusativo exstant. Hanc autem dictionem illo loco liberius poeta immutavit.

Verba dicendi. v. p. 17 sq. El. 144 σοὶ ἐννέπω γόους Klageworte sagen. Tro. 842 τὸ μὲν οὖν Διὸς οὐκέτ' ὄνειδος ἐρῶ. I. A. 1187 τίνας εὐχὰς ἐρεῖς; H. f. 1121 τί πόλεμον εἶπας; Rhe. 51 ὥς τινα μέμψιν εἴπῃς. — Ba. 619 δόξαν λέγω. Or. 1387 αἴλινον, ἀρχὰν θανάτου, λέγουσιν. — Ion 786 ἄκρον ἔλακες ἄχος. Hel. 185 ἄλυρον ἔλεγον ὅτι πότ' ἔλακεν. — Rhe. 52 ἀγγέλλων φόβον. 34 δείματα. El. 419 πικρὰ ἀγγ. H. f. 1123 ὦ κάκ' ἀγγέλλων πάτερ. — Sup. 543 δείν' ἀπειλήσων ἔπη. — Phoe. 1181 τοσόνδ' ἐκόμπασεν. — Ion 936 τίνα λόγον Λοξίου κατηγορεῖς; Or. 28 Φοίβου δ' ἀδικίαν μὲν τί δεῖ κατηγορεῖν; Her. 417. Accusativus, non rem accusatam, sed crimen cuius quis accusatur continens, immanenti ratione ad κατηγ. referendus est.

Verba clamandi, cantandi. v. p. 17. Tro. 1301 ἄλγος ἄλγος βοᾷς. 336 βοάσατ' εὖ τὸν Ὑμέναιον. Hel. 1435 Med. 207 λιγυρὰ δ' ἄχεα μογερὰ βοᾷ. I. A. 1346 δεινά. Hip. 874 ἄλαστα. Transitivam vim verbum habet

Med. 21 *βοᾷ ὅρκους* i. e. obtestatur. — El. 142 *ἵνα πατρὶ γόους νυχίους ἐπορθοβοάσω.* I. A. 461 *ἀναβοήσεται οὐ συνετὰ συνετῶς.* Ba. 514 *τάδ' ἀναβοάσας.* — Hec. 152 *τί ποτ' ἀπύσω; ποίαν ἀχώ, ποῖον ὀδυρμόν;* Sup. 804 *στεναγμὸν τῶν κατὰ χθονὸς νεκρῶν ἀύσατ' ἀπύσατε.* — El. 755 *σφαγὴν ἀυτεῖς τήνδε μοι;* Phoe. 1227 *τίν' ἔκπληξιν νέαν ἀυτεῖς;* — Phoe. 475 *ἀράς, ἃς ἐφθέγξατο.* Ion 1191 *βλασφημίαν φθ.* 737 *εἴ τι Λοξίας θέσπισμα ἐφθέγξ.* And. 1125 *δεινόν τε καὶ φρικῶδες.* Hip. 1205. Hec. 190 *ἀμέγαρτα κακῶν.* — Phoe. 1346 *μεγάλα θροεῖς πάθεα.* — 1503 *τίνα προσῳδὸν ἢ τίνα μουσοπόλον στοναχὰν ἀνακαλέσωμαι;* — H. f. 348 *αἴλινον μὲν ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ Φοῖβος ἰαχεῖ.* 1015 *ἢ γόον ἢ φθιτῶν ᾠδὰν ἢ τὸν Ἅιδα χορὸν ἰαχήσω.* Pflugkius locis allatis Graecos nonnumquam *χορόν* et *χορείαν* de carminibus videri adhibuisse probat. — Rhe. 296 *πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον.* — H. f. 689 *παιᾶνας κελαδήσω.*

Verborum cantandi exempla sunt: Rhe. 539 *ὑμνεῖ μερίμνας φοινίας μελοποιὸς ἀηδονίς.* — I. T. 1371 *ναῦται ἐπευφήμησαν παιᾶνα.* — Ion 93 *ἀείδουσ' Ἕλλησι βοάς, ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ.* Cycl. 422 *ᾄδει ἄμουσα.* — Med. 150 *ἀχάν, οἵαν μέλπει νύμφα.* Tro. 548 *παρθένοι βοὰν ἔμελπον εὔφρονα.* Ion 890 *ὦ τᾶς ἑπταφθόγγου μέλπων κιθάρας ἐνοπάν.* Dindf.: Eundem sonum voce edens, quem cithara chordis edit. Andr. 1010 *πολλαὶ στοναχὰς μέλποντο ἄλοχοι.*

Verba gemendi, lugendi. Sup. 106 *ὁ στενάζων οἰκτρόν.* Med. 1173 *δεινόν.* I. T. 932 *μέγα.* 538 *τοῦτο.* Tro. 580 *τί παιᾶν' ἐμὸν στενάζεις.* 1219 *στέναξον — νεκρῶν ἴακχον.* Optime hoc verbum, de frementi cultu Bacchico desumptum, cum verbo *στεν.* summum Hecubae luctum et dolorem depingit. Phoe. 335 *στενάζων ἀρὰς τέκνοις.* H. f. 745 *φόνου φροίμιον στ.* Sup. 824 *στένεις ἐπ' ἀμφοῖν ἄχη.* H. f. 1028 *ἄπτερον καταστένων ὠδῖνα.* Or. 153 *βραχὺ δ' ἀναστένει.*

H. f. 1043 *οὐκ ἀτρεμαῖα θρῆνον αἰάξετε;* et *ἀτρ.* et *θρ.* acc. immanentes sunt. — Phoe. 1308 *ἰαχὰν στενακτὰν θρηνήσω.* — 1521 *αἴλινον προκλαίεις.* Sup. 779 *ὧν λελειμμένος ἔρημα κλαίω.* — 774 *ἄκραντ' ὀδύρει.*

Alia et varia huius generis verba, quae non omiserim, sunt: Ba. 158 λωτὸς ὅταν ἱερὰ παίγματα βρέμῃ. H. f. 952 δεινά. Tro. 521 οὐρανία βρ. — Hip. 1200 κῦμα ἀφρὸν πολὺν καχλάζον. — Cyc. 485 ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος. — Alc. 591 βοσκήμασι σοῖσι συρίζων ποιμνίτας ὑμεναίους. I. A. 572 βάρβαρα συρίζων. — H. f. 887 δάιον τότε δάιον μέλος ἐπαυλεῖται. — 862 δεινὰ μυκᾶται. — I. T. 1358 στεναγμὸν ἡδὺν ἐκβρυχώμενοι. — Alc. 772 ἄμουσ' ὑλακτῶν.

Accusativus viae. — Qui quamquam in grammaticis una cum acc. transitivo tractari solet, ab eo multum distat et seiungendus est. Verba enim eundi intransitiva sunt, quae obiecto, quo se referant, non egent, neque acc. ille obiectum verbi actionis continet, sed liberrime, verbi significatione non desideratus accedit. Nos quoque eadem ratione accusativo uti notum est neque a latina lingua afuit: cf. campum, iter, stadium currere, novas vias ire etc. Quarum dictionum radices si quaeruntur, ab omisso acc. revocandae sunt, ut ortum sit ὁδὸν δραμεῖν ex δρόμον ὁδοῦ δρ., campum currere ex campi cursum c. Quam originem nonnumquam oblivioni datam esse scriptoresque verbis plane transitivam vim tribuisse loci ostendunt, quibus apud passivum acc. ille nominativo mutatur, ut Quinct. 1. 4. 28 campus curritur, mare navigatur sq. Sed quod hanc libertatem pauci modo scriptores paucis locis sibi permiserunt, testimonio est, linguam veram huius acc. naturam non ignoravisse neque obiectum transitivum eum habuisse. Omissis multis locis, qui miri nihil contineant, eos modo in medium proferam, in quibus quaesitiores dictiones exhibentur.

H. f. 660 δισσοὺς ἂν ἔβαν διαύλους et 1089 δίαυλον μολὼν de Herculis itinere ad inferos retroque in terram facto dicitur. — 855 Lyssa dicit οἶ' ἐγὼ στάδια δραμοῦμαι στέρνον εἰς Ἡρακλέους. I. T. 411 παράλιον αἰγιαλὸν δραμόντες. Seidleri emendatione παρ' ἅλ. opus non esse mihi videtur. Hel. 1116 ὅτ' ἔμολεν ἔμολε, πεδία βαρβάρῳ πλάτᾳ ὃς ἔδραμε ῥόθια, μέλεα Πριαμίδαις ἄγων λέχεα. Ita legendum esse mihi videtur coniunctis μέλεα λέχεα et πεδία ῥόθια. Poetam enim,

ut Matthiaeo placuit, ἔμολε πεδία i. e. venit in campos, non adicientem, in quosnam, dicere potuisse non crediderim. 1496 μόλοιτέ ποθ' ἵππειον οἶδμα δι' αἰθέρος ἱέμενοι. Rhe. 277 δρυμὸν ἔνθηρον μολὼν i. e. per silvam. — 116 μακρὸν μὲν ἤλθομεν κώπῃ πόρον. 333 Ἕλληνος ἐκ γῆς πόντον ἦλθεν ἄξενον. I. T. 1087 νόστον βάρβαρον ἦλθον. Cuius loci mutatio (velut Nauckii νᾶσον) necessaria non est. Nam νόστος, in quo offendisse videtur, non solum reditum sed omnino iter significat, cf. I. A. 965 εἰ πρὸς Ἴλιον ἐν τῷδ' ἔκαμνε νόστος. — I. T. 1112 λαμπροὺς ἱπποδρόμους βαίην. — And. 1014 ὦ Πόντιε κυανέαις ἵπποις διφρεύων ἅλιον πέλαγος. Sup. 993 Matth. τί φέγγος, τίν' αἴγλαν ἐδίφρευε τόθ' ἅλιος. (ἐδιφρεύετο τάλας libb.). Monent editores, hunc locum ab Aristophane notatum esse Thesm. 1067 νῶτα διφρεύουσ' αἰθέρος ἱερᾶς, unde testimonium petere liceat, Matthiaei correcturam rectam et intelligendam esse: qua via fulgenti. Totus autem locus adeo corruptus est, ut difficultates omnes tollere et lectionem omnibus probandam restituere nondum cuiquam contigerit. — El. 508 artificiose dictum est: ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον πάρεργ' ὁδοῦ. Cum huc me conferrem in via simul illuc deflexi. Seidl. — Hel. 130 μέσον περῶσι πέλαγος. Rhe. 912 Dindorfii coniecturam περῶσα γὰρ δὴ* ποταμίους διὰ ῥοὰς praefero codicum lectioni διαρροάς. — Ba. 300 πηδῶντα σὺν πεύκαισι δικόρυφον πλάκα. 864 θρώσκει πεδίον παραποτάμιον. — 1351 τὸν καταιβάτην Ἀχέροντα πλεύσας. I. T. 1357 ἄξενον πόρον Συμπληγάδων ἔσωθεν εἰσεπλεύσαμεν. — Hel. 598 πᾶσαν πλανηθεὶς τήνδε βάρβαρον χθόνα. 533 πορθμοὺς ἀλᾶσθαι μυρίους. — El. 603 ποίαν ὁδὸν τραπώμεθ' εἰς ἐχθροὺς ἐμούς; Phoe. 723 τρ. ὁδοὺς ἄλλας τινάς. — 545 ἡλίου φῶς ἴσον βαδίζει τὸν ἐνιαύσιον κύκλον. — Hip. 1186 εἱπόμεσθα δεσπότῃ τὴν εὐθὺς Ἄργους ὁδόν. — Ion 509 στείβουσι στάδια χλοερά. — Rhe. 891 οἵαν ἔκελσας ὁδὸν ποτὶ Τροίαν; — I. T. 1293 ἀγχίπλουν πόρον φεύγουσιν. — Valde concisa oratione usus est Ion 752 βάκτρῳ δ' ἐρείδου περιφερῆ στίβον χθονός, baculo nisus viam confice.

Vocem ὁδόν omitti posse notissimum est. Cf. Hec. 160

ποίαν ἢ ταύταν ἢ κείναν στείχω; El. 1046 *ἐτρέφθην ἥνπερ ἦν πορεύσιμον.*

Non negligendi sunt hic tres loci, qui constructionem valde mirabilem offerunt et multarum controversiarum causam praebuerunt. I. T. 360 *αὐλεῖται δὲ πᾶν μέλαθρον*, ubi *μέλ.* utrum nominativus an accusativus habendum sit dubium est. Etiamsi *αὐλεῖν τινα* dici posset, sensus alius evaderet, quam hic desideratur, scl. tibiis alqm. celebrare; notionem autem, quae hic apta est, „durchflöten, mit Flötenton erfüllen" supponi posse non crediderim. Plut. Ant. 43 *νῆσος κατηυλεῖτο*, qui locus nominativi *μέλαθρον* firmandi causa laudatur, nihil valet; verbum enim praepositione *κατά* transitivum factum est. Mea sententia *μελ.* accusativus est, qui pendet e verbo, proinde ac si eundi notio ei inesset: flöten durch das Zimmer hin(gehend). Quae explicatio graviorem veri speciem consequitur altero loco Hel. 1435 *πᾶσαν δὲ χρὴ γαῖαν βοᾶσθαι ὑμέναιον Ἑλένης κἀμόν* i. e. durch das ganze Land soll gerufen werden. Parum apte autem hic *βοᾶσθαι* sensu mediali ut I. T. 437 *λωτὸς βοάσθω* accipitur. Qui accusativi optime confirmantur Her. 401 *θυηπολεῖται δ' ἄστυ μαντέων ὕπο* i. e. in der Stadt wird geopfert. Sin autem *ἄστυ* nominativum iudicaremus, verborum sensum ineptissimum esse quis non videt?

Accusativus loci. — Frequentissimus est usus, quo verba eundi et veniendi et similia, quae motum in locum exprimunt, hunc finem accusativo secum habere possunt. Apud Latinos quoque eius rei vestigia manent in accusativis illis velut Romam ire, quos si explicare vis, rursus redeundum est ad alterum acc., cuius attributum in Romam inest. Cf. Phoe. 845 *πόση τις ἡ 'πίλοιπος ἀστέως ὁδός* der noch übrige Weg in die Stadt, qui locus *τὴν ἀστέως ὁδὸν ἰέναι* dici potuisse demonstrat, ubi, cum eiceretur *ὁδόν*, genitivi loco accusativus ponendus erat. Attamen haec constructio in Graeca lingua praecipue poetarum est, cum pedestris orationis scriptores potius praepositionibus utantur. Apud poetas autem, siquidem Homeri et tragicorum rationem inter se conferimus,

huius acc. usum multo amplificatum magisque progressum esse apparet. Nam etsi Homerus (auctore La Roche p. 94. 102) ad verba *ἱκάνω ἱκνέομαι*, *δύω δύομαι* infinitam accusativorum copiam exhibet et praepositiones negligit, in his solis verbis se continet et perpauca alia, quae La Roche affert *ἄρχομαι*, *εἶμι*, *βαίνω*, *νέομαι*, *ἄγω* perpaucis modo locis cum acc. construit. E toto enim Homero citantur ad *ἔρχομαι* exempla quattuor, ad *εἶμι* tria sq.

Ut eo melius perspiciatur, quaenam ratio in horum verborum constructione inter tres magnos tragicos intersit, verba frequentiora composui, unde ad pleraque, exceptis *ἱκνεῖσθαι* et *ἀφικν.*, praepositiones soli casui praeferri elucet. Non minus autem perspicuum est, quanto uberior quam alii poetae Euripides in his verbis fuerit, qua re oratio eius saepe impedita et molesta facta est.

Missis illis verbis, quorum ad numeros non habeo quod addam, alia et rariora adeamus, quae eadem hac ratione cum acc. construuntur. — Hel. 51 *πορευθεὶς Ἰλίου πυργώματα.* Solum huius verbi cum acc. exemplum est; saepe cum praepositionibus exstat. — Hip. 36 *σὺν δάμαρτι ναυστολεῖ χθόνα.* Hec. 1238. Sup. 475. Med. 677. Cyc. 104. — *νοστεῖν* ter c. acc. repperi I. T. 522, Hel. 890, 1024, nusquam praepositionem secum habet, quod idem valet de *νίσσεσθαι* c. acc. Phoe. 1234. Cycl. 43. — Hec. 1083 *τὸν ἐς Ἀΐδα πορθμὸν ᾄξω τάλας*, c. *εἰς* El. 842, Phoe. 471, Sup. 1068, Ion 339. — Sup. 589 *ὁρμᾶσθαι* — *Καδμείαν χθόνα*, c. *εἰς* Ba. 1154, Phoe. 728, Ion 607. *πρός* Alc. 1042, Tro. 534. — H. f. 107. *ὑπώροφα μέλαθρα καὶ γεραιὰ δέμνι' ἐστάλην.* Med. 663 *τί δ' ὀμφαλὸν γῆς ἐστάλης;* c. *πρός* Hel. 1441. 1528. — El. 1271 *χάσμα δύσονται χθονός*, c. *εἰς* H. f. 865. — Phoe. 980 *ποῖ δῆτα φεύγω; τίνα πόλιν.* Multum differt ab acc. trans., qui indicaret, quam urbem fugeret, cum hic, in quam fugiat, interrogetur. — Med. 1132 *ἐγὼ δὲ στέγας γυναικῶν σὺν τέκνοις ἅμ' ἑσπόμην.* — Ion 1282 *βωμὸν ἔπτηξεν θεοῦ* confugit ad. aram — Rhe. 928 *Τροίας ἄστυ κέλσαι.* — 233 *ἵκοιτο καὶ κάμψειε πάλιν θυμέλας οἴκων πατρός* redeat ad. — Sup.

		acc.	εἰς.	ἐπί c. acc.	πρός c. acc.	Summa
ἔρχεσθαι.						
	Aeschyl.	—	11	4	2	17
	Sophocl.	5	14	4	6	29
	Eurip.	66	145	21	21	253
μολεῖν.						
	Aeschyl.	6	11	1	2	20
	Sophocl.	4	13	—	3	20
	Eurip.	27	41	13	12	93
ἥκειν.						
	Aeschyl.	6	4	1	4	15
	Sophocl.	1	5	—	2	8
	Eurip.	20	56	4	9	89
ἀφικνεῖσθαι.						
	Aeschyl.	5	2	—	—	7
	Sophocl.	2	1	2	2	7
	Eurip.	28	25	—	6	59
ἰέναι.						
	Aeschyl.	1	2	—	2	5
	Sophocl.	1	7	3	6	17
	Eurip.	3	28	7	17	55
βαίνειν.						
	Aeschyl.	—	2	—	1	3
	Sophocl.	2	3	1	2	8
	Eurip.	15	17	7	5	44
χωρεῖν.						
	Aeschyl.	—	1	—	—	1
	Sophocl.	—	3	—	8	11
	Eurip.	4	14	2	12	32
στείχειν.						
	Aeschyl.	1	2	1	4	8
	Sophocl.	2	—	—	2	4
	Eurip.	4	10	4	10	28
ἱκνεῖσθαι.						
	Aeschyl.	3	2	2	—	7
	Sophocl.	7	1	1	5	14
	Eurip.	9	6	1	2	18
πλεῖν.						
	Aeschyl.	—	—	—	—	—
	Sophocl.	—	3	1	9	13 [1])
	Eurip.	3	6	4	1	14
οἴχεσθαι.						
	Aeschyl.	—	—	—	—	—
	Sophocl.	—	1	—	—	1
	Eurip.	3	4	—	4	11

1) Omnes hi loci in Philocteta leguntur.

1150 ποτανοὶ ἤνυσαν τὸν Ἅιδα i. e. ἦν. ὁδὸν εἰς τ. Α. Or. 1695 λαμπρῶν ἄστρων πόλον ἐξανύσας viam ad astra conficiens. cf. Hip. 738 Ἑσπερίδων δ' ἐπὶ μηλόσπορον ἀκτὰν ἀνύσαιμι. — Tro. 937 Σπάρτης ἀπῆρας νηὶ Κρησίαν χθόνα. — Cyc. 221 λῃσταί τινες κατέσχον χθόνα. Hel. 1206 πόθεν κατέσχε γῆν; — Πελάζειν et πλάθειν sensu intrans. saepe c. acc. construuntur. Rhe. 14. And. 1140. c. dat. And. 25. Hec. 1267. Her. 49.

Hel. 1323 codd.: χιονοθρέμμονάς γ' ἐπέρασ' Ἰδαιᾶν νυμφᾶν σκοπιάς, ῥίπτει δ' ἐν πένθει πέτρινα κατὰ δρία πολυνιφέα. Agitur de matre Idaea, quae, filia frustra quaesita, in sedes suas redit. Hermannus hoc loco grammaticos doctos castigat, qui satis habuerint curare, ut verba construi possint, non de sententia quaerentes. Quo enim Idaea mater, interrogat, postquam finem quaerendi fecit, transgressa est Idam? Quo tandem itura? Mansuram crederes in sede sua fusam quaerendo. Ipse verba corrupta habens διέπερσ' scribit, ut dea post reditum in montem suum cacumina prostravisse ac disiecisse dicatur iisque saltus nivosos obruisse, unde sponte intelligatur reversam cogitari ad sedes consuetas. Vellem attulisset vir doctus, unde tam violenta atque insana ratione deam reditum suum indicavisse edoceri possemus. Nam si quis obiciat, Asiaticam illam matrem Idaeam fera et frementi ratione cultam talique tumultu gavisam esse, hic poetam potius de Cerere cogitavisse respiciat; dea enim filiam amissam quaesivisse dicitur, quod Cereris fuisse quis ignorat? Ipse autem Hermannus ad hunc cantum choricum adnotavit, aperte in eo coniuncta esse cognata Cereris et Magnae Matris numina. Ad Cererem autem rabiem et insaniam illam, quae vereor ne ipsi matri Idaeae maior sit, quadrare, ne Hermannum quidem cuiquam persuadere posse credo. Omnino locus mutatione non eget. Verbo enim περᾶν semper transgrediendi notio, ut Hermannus opinari videtur, insit necesse non est; immo, significat progredi, proficisci, cf. Phoe. 985 ποῖ περῶ; Θεσπρωτὸν οὖδας. Or. 506 εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν. Qua verbi notione recepta omnia bene conveniunt deaque in

nivosos saltus suos venisse ibique sub rupibus maerore mersa esse dicitur. *ῥίπτει* intransitivam vim habet, quam verbo inesse posse videas Alc. 910 *τί μ' ἐκώλυσας ῥῖψαι τύμβου ἐς τάφρον κοίλην.* Cyc. 164 *ῥίψας ἐς ἅλμην λισσάδος πέτρας ἄπο* [1]).

Possunt quoque haec verba cum *εἰς* et c. acc. construi ita, ut plerumque praepositione res adiungatur, aut consilium et finem, quem persequimur, continens aut totius rei vel terrae partem magis efferendam. Ion 713 *θυραῖος ἐλθὼν δόμους μέγαν ἐς ὄλβον.* I. A. 750 *ἥξει δὴ Σιμόεντα καὶ δίνας ἀργυροειδεῖς Ἴλιον εἰς τὸ Τροίας* „Quod solus accusativus fluvii primum ponitur, significat poeta, quo Argivorum expeditio ventura sit omnino, quod autem deinceps adiungitur *Ἴλ. εἰς* significatur, in quos agros penetratura sit". Klotz. — Hip. 25 *ἐλθόντα γάρ νιν σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυστηρίων Πανδίονος γῆν.* — 971 *μήτ' Ἀθάνας μόλῃς μήτ' εἰς ὅρους οὓς* sq. Hoc loco accusativum ex sequenti *εἰς* pendere credo, quia *εἰς ὅρ.* non cum *Ἀθ.* cohaeret et accuratiorem eius definitionem continet, sed ad omnes fines pertinet, quos ne ingrediatur Theseus Hippolyto interdicit. Eodem modo praepositio ad duo accusativos spectat Cyc. 350 *κρείσσονας γὰρ Ἰλίου πόνους ἀφῖγμαι κἀπὶ κινδύνου βάθρα.* Hunc usum apud alios quoque scriptores, imprimis Callimachum saepius invenimus. — H. f. 407 *τόν τ' ἱππευτάν τ' Ἀμαζόνων στρατὸν — ἔβα — κόρας Ἀρείας πέπλων χρυσεόστολον φάρος.* Quae verba equidem construere non possum nisi et *στρατόν* et *φάρος* ad *ἔβα* relatis: profectus est ad Amazones, vestem petitum. Est autem constructio audacissima, in qua miror quod praeter Pflugkium nemo editorum offendit. Meum quidem iudicium si sequor, facere non possum, quin altero loco praepositionem ponendam fuisse credam. Mutatio autem, quam Pflugkius proposuit, mihi non probatur: *χρύσεον στελῶν*, quia *στελῶν* non eam petendi notionem habet, quae

1) De verbis trans. βάλλειν, φέρειν cet. cum acc. loci coniunctis videas infra.

hic desideratur. In pleonasmo φάρος πέπλων offensio non est, cf. 662 ζωᾶς βιοτά. 359 ἄρουραι πεδίων.

Liberrimus huius acc. usus est, quo ipsi homines, ad quos venturus es, neglecta praepositione afferuntur. Omnes autem scriptores hanc libertatem angustioribus terminis circumscripserunt. Apud Homerum ἱκνέομαι tricies quinquies, ἱκάνω et ἵκω vicies sexies, δύω sexies cum acc. personae coniuncta sunt, cum cetera verba ita non construantur. Tragicorum Euripides ceteris haud exiguo exemplorum numero multo praestat. Apud Aeschylum enim et Sophoclem bina exempla reperiuntur. Aesch. Prom. 709 Σκύθας ἀφίξει. Sup. 157 τὸν γάιον, τὸν πολυξενώτατον Ζῆνα ἱξόμεσθα. Pers. 216 θεοὺς προστροπαῖς ἱκνουμένη, quem locum Escherus p. 139 huc trahit, transitiva notione implorandi verbum intelligo. — Soph. Phil. 141 σὲ τόδ' ἐλήλυθε πᾶν κράτος. 601 τίς ὁ πόθος αὐτοὺς ἵκετο. — Apud Euripidem legi haec: Hip. 786 ἠχὼ βαρεῖα προσπόλων μ' ἀφίκετο. Hel. 596 Ἕλληνας ἀφικ. Ba. 1343 βαρβάρους. Sup. 254 Oratio Adrasti, cui Theseus bellum contra Thebas susceptum exprobrat, incipit: ἀλλ' ὡς ἰατρὸν τῶνδ', ἄναξ, ἀφίγμεθα, οὔτοι δικαστὴν εἱλόμην ἐμῶν κακῶν. Quem versuum ordinem si tenemus, σ' ἀφίγμ. scribendum esse Hermannus rectissime monuit. Initium autem orationis claudicare nemo non sentit. Nauckius nimia temeritate usus versum priorem delet. Bene omnia procedunt, si Scaligero auctore versus inter se transponuntur et aut post δικαστήν aut post εἱλ. σέ inseritur. — El. 915, 1277 ἐλθὼν Φρύγας. Sup. 839 ἔρημά σ' ἁ πολύστονος Οἰδιπόδα δώματα λιποῦσ' ἦλθ' Ἐρινύς. H. f. 394 ὑμνῳδούς τε κόρας ἤλυθεν Ἑσπερίδων ἐς αὐλάν. Nauckius sine ulla causa mutat ὑμνῳδῶν κορᾶν. Accusativum neque per se neque propter sequentem praepositionem languere exempla allata docent. Cf. Hel. 613 πατέρ' ἐς οὐρανὸν ἄπειμι, ubi idem Nauckius in accusativo offendens πάλιν scribendum esse temere putat. — Hip. 1362 ὀδύνα με βαίνει. And. 286 ἔβαν δὲ Πριαμίδαν. — Ba. 837 ἥξει δὲ βάκχας. — Hel. 245 Ἀθάναν μόλοιμι. — Rhe. 558 κἀμὲ ἔδυ φόβος.

Verba eundi cum praep., quae motum in locum vel hominem continet, composita multo facilius accusativum ferre potuisse consentaneum est, quia praepositio non tantopere in verbo evanuit, quin ipsius vim servaret et casum e se aptum habere posset. Kuehnerus, nonnumquam constructiones confundens, hanc quoque locis quibusdam non distinxit ab ea, in qua verba praepositione vera transitiva facta sunt. Nam p. 259 in *τήνδ' ἐπεισπεσὼν πόλιν* acc. transitivum, p. 268 in *πολιὸν εἰσπεσὼν γῆρας* acc. motus et eundem p. 269 in *ἐμβῆσαι δίφρον* statuit, quamquam idem exemplum p. 257 sub. acc. viae attulit. Multa autem verba eundi, praecipue cum praep. *διά, ὑπέρ, περί* sq., quae alium motum continent, quam is, qui soli verbo inesse potest, composita transitivam notionem nacta esse ea re demonstratur, quod passive dici possunt. Quorum verborum quaedam, propria sua vi abiecta, nova et transitiva significatione instrui posse constat, velut *ἱκνεῖσθαι, προσικν.*, quae implorandi, *ἐπ-μετέρχεσθαι*, quae vituperandi, ulciscendi notionem accipiunt. Optime utramque verbi significationem illustrat Cyc. 278 *τῆς κακίστης μετήλθεθ' ἁρπαγὰς Ἰλίου πόλιν* rapinae ulcisendae causa Ilium venistis.

E multis illis verbis compositis, quae cum acc. loci construuntur, pauca modo attulerim rariora, quorum de constructione dubitari potest. — And. 533 *Ἅιδην χθόνιον καταβήσει*. Her. 912. descendes in. I. T. 39 *ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν*. — Rarior constructio est Or. 1284 *ποδὶ βοηδρόμῳ μέλαθρα προσμίξει*, quod verbum Sophoclis rationem secutus c. dat. coniunxit Rhe. 145 *προσμίξω νεῶν ὁλκοῖσιν*. — Phoe. 1108 *δρόμῳ συνῆψεν ἄστυ*. Quae verba, Nauckio et Kirchhoffio quoque suspecta, significare posse, magno cursu ad urbem venit, non credo. Locum coniectura si sanare licet, nescio an scribi possit *δρόμοισιν ἦλθεν*. — Or. 314 insolenter dictum est *Εὐμενίδες, αἵτε τὸν αἰθέρ' ἀμπάλλεσθ'*. i. e. quae in liquidum aethera vos effertis. Nauckius verbum *ἀμπ.* ad res et arma quadrare, deabus autem per aera volantibus aptum non esse observans *ἀμπολεῖσθ'* scribi vult, cuius

verbi, omnino ab Euripide alieni, notio non melius huic loco convenit. Verbum autem illud offensione vacare docet Ba. 1180 ὁ Βάκχιος κυναγέτας ἀνέπηλεν ἐπὶ θῆρα τόνδε Μαινάδας. — I. A. 808 δεινὸς ἐμπέπτωκ' ἔρως τῆσδε στρατείας Ἑλλάδ' οὐκ ἄνευ θεῶν. Ita cum Scaligero scribendum esse videtur. Codicum scripturam Ἑλλάδι γ' anapaestus in quartam senarii sedem invectus vitiosam esse ostendit. Quod sunt qui ἐμπίπτειν c. acc. construi posse negaverint, — ι omissum in Ἑλλάδ' contra tragicorum usum faceret, — nihili est. Nam ut saepius ἐν dicitur, ubi nos εἰς desideramus (H. f. 1078 ἐν κλύδωνι πίπτειν. Sup. 835), et verba c. ἐν comp. cum εἰς construuntur (Her. 168 εἰς ἄντρον ἐμβήσει), ut commutatae esse praepositiones videantur, ita loco illo talem quoque permutationem statuerim. Atque Sophocles O. C. 942 αὐτοὺς ἂν ἐμπέσοι constructionem illam firmat, nec non conferri potest Ion 311 σηκοὺς δ' ἐνστρέφει Τροφωνίου. — Verbum ἐμπίπτειν Kuehnerus transitivum habet, quod, si verbi ἐμβαίνειν analogiam sequimur, necessarium non est. Cf. El. 433 νᾶες, αἵ ποτ' ἔμβατε Τροίαν. Cyc. 90 τήνδε στέγην ἐμβεβῶτες. Her. 845 ἱκέτευσέ νιν ἐμβῆσαι δίφρον. — Hoc accusativi usu nititur πάρειμι c. acc. Ba. 5 π. Δίρκης νάματα. El. 1275 Ναυπλίαν παρών.

V e r b a s e d e n d i e t c o n s i d e n d i cum acc. eius loci coniunguntur, quo sedeamus sive quo considamus. Quae constructio a nostra latinaque lingua aliena in ipsa graeca infrequens et poetici sermonis est, cum ceteri scriptores verba cum praep. construere soleant. — Ba. 1037 ποιηρὸν ἵζομεν νάπος. Ion 1317 βωμόν. Rhe. 501 κλωπικὰς ἕδρας. I. A. 140 ἵζου ἀλσώδεις κρήνας. — H. f. 48 βωμὸν καθίζω τόνδε. El. 983, Or. 956, Ion 6, 378, 1320. — Hel. 894 προσκαθίζω θᾶκον οὐκ εὐδαίμονα. 1107 μουσεῖα καὶ θάκους ἐνίζουσα. Hec. 935 σεμνὰν προσίζουσ' Ἄρτεμιν. — Hel. 1575 τοίχους δεξιοὺς ἕζοντο. 1492 Εὐρώταν ἐφεζόμεναι. — Rhe. 535 Σιμόεντος ἡμένα κοίτας φοινίας. — Her. 55 καθῆσθαι τήνδ' ἕδραν. 394 λεπαίαν ὀφρύην. Rhe. 5 τετράμοιρον νυκτὸς φυλακὴν πάσης στρατιᾶς προκάθηνται. — And. 117 δά-

πεδον καὶ ἀνάκτορα θάσσεις. Or. 863, H. f. 1201, I. T. 269, Ion 91, Tro. 138. — Hip. 31 ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο huic generi non adscribendum est, sed verbum notionem condendi habet, quae aoristo εἱσ. semper inest; et hanc rectam hoc loco esse ipse Diodorus 4. 62 testatur, qui Phaedram, Hippolyti amore incensam, templum condidisse παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, ὅθεν ἦν καθορᾶν τὴν Τροιζῆνα narrat. Nauckius (Eurip. Studien II p. 2.) illam verbi formam ut a lingua graeca alienam reicit scribique vult ἐγκαθίσατο, quod nonnulli codd. exhibent. Sed cum apud Theognidem, Herodotum, Apollonium Rhodium, Plutarchum loci sint, quibus simplex εἱσάμην legi ipse Nauckius concedit, causam non video, cur poeta verbi compositi forma illa uti non potuerit, cum eam significationem suppeditet, quae alteri lectioni contra usum ex ipso hoc loco tribuitur.

Etiam verbum ἵστασθαι cum tali acc. construitur. Sup. 980 τί ποτ' αἰθερίαν ἕστηκας πέτραν; Or. 1251 στῆθ' αἱ μὲν ὑμῶν τόνδ' ἁμαξήρη τρίβον. — Denique hic attulerim Sup. 660 τοὺς σὺν αὐτῷ δεξιὸν τεταγμένους κέρας.

Accusativus temporis. Spatium temporis significat, quo res agitur. Praeter usitata vocabula velut νύκτα, ἦμαρ, ἡμέραν cet., quae hoc loco mittere posse mihi videor, aliis et quaesitioribus formulis poeta uti ausus est. Alc. 445 μὴ λύρας κτύπος ἔστω σελήνας δώδεκ' ἐκπληρουμένας. 367 ἡδὺ γὰρ φίλους κἀν νυκτὶ λεύσσειν, ὅντιν' ἂν παρῇ χρόνον. Hermannus παρῇ referri monet ad τὶς αὐτῶν, quod lateat in praegresso plurali φίλους. — Ba. 714 τὴν τεταγμένην ὥραν ἐκίνουν θύρσον. — Phoe. 478 ἀνάσσειν πατρίδος ἐνιαυτοῦ κύκλον. — Hip. 905 φάος τόδε οὔπω χρόνον παλαιὸν εἰςεδέρκετο. I. A. 415. — Ion 1461 ἀλλὰ τἀπίλοιπα τῆς τύχης εὐδαιμονοῖμεν, ὡς τὰ πρόσθε δυστυχῆ. — Or. 72 ὦ παῖ Κλυταιμνήστρας τε κἀγαμέμνονος, παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος χρόνον. — Ba. 880 κρυπτεύουσι δαρὸν χρόνου πόδα, quam metaphoram, similiter fr. 43 adhibitam, Aristoph. Ran. 100 derisit. — Alc. 796 τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται. — Hip. 1111 ῥᾴδια δ' ἤθεα τὸν αὔριον μεταβαλλομένα χρόνον

ἀεὶ βίον συνευτυχοίην. Verba in suspicionem vocata mea sententia intelligi possunt: mores semper crastino die mutans, i. e. cras, cum res postulant, alios quam hodie mores gestabo; βίον i. e. per totam vitam exstat quoque Sup. 536 οὔτι γὰρ κεκτήμεθα (scl. τὸ σῶμα) πλὴν ἐνοικῆσαι βίον. — Hec. 32 τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος. Hip. 275 τριταίαν ἄσιτός γ' οὖσ' ἡμέραν. — Hel. 480 καιρὸν γὰρ οὐδέν' ἦλθες non opportuno tempore venisti; saepius idem praepositionibus dicitur, cf. Phoe. 105, Or. 376, Tro. 746.

Plane alia atque usitata significatio accusativo subest Hel. 402 ἀλῶμαι χρόνον ὅσονπερ 'Ιλίου πύργους ἔπερσα. Hic non de decem annis cogitandum esse, per quos Menelaus circumvagatus sit, v. 774 docet, ubi ipse errores suos septem annorum fuisse dicit, quod in Odyssea quoque γ. 305 et δ. 82 narratur. Vertenda igitur sunt verba illa: ich irre umher, seitdem; v. 111 autem πόσον χρόνον διαπεπόρθηται πόλις wie lange Zeit hindurch liegt die Stadt zerstört?

E multis adverbiis, quae huc spectant, velut τὸ πρῶτον And. 36, τὸ λοίσθιον Hel. 1146 cet. imprimis respexerim Med. 825 'Ερεχθεΐδαι τὸ παλαιὸν ὄλβιοι. El. 1070 νέον τ' ἀπ' οἴκων ἀνδρὸς ἐξωρμημένου i. e. kürzlich, eben. Her. 396 ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τὰ νῦν δορός. Vulgare illud adverbium τὰ νῦν insolenter cum gen. coniunctum significare videtur: in praesenti expeditione.

Accusativus obiecti explicativi. Quo nomine uti liceat, quia, quo verbi actio referenda sit, hic acc. continet eamque accuratius explicat. Hunc autem — accusativum paratacticum κατ' ἐξοχήν — in latinam quoque linguam transiisse et eadem libera ratione atque apud Graecos adhibitum „acc. graecum“ nominatum esse constat. Imprimis cum verb. transitivis et passivis et adiectivis coniungitur et apud omnes scriptores usum latissimum consecutus est. Saepissime in corpore eiusque partibus notandis exstat, cuius usus Euripides multa exempla in dictionem suam contulit.

Her. 914 σῶμα δαισθείς. Ba. 228 εὔοσμος κόμην. 734 ἐσφάλλοντο δέμας. Alc. 344 εἶδος εὐπρεπεστάτη. 861 μογεῖν

πλευρα. 1103 καρδίαν δηχθήσομαι. And. 492 χέρας αἱματηρὰς βρόχοισι κεκλημένα. 521 λείβομαι δάκρυσιν κόρας. 654 εὐφημεῖν στόμα. Phoe. 1386 διάβροχοι γενειάδας. Hel. 546 ἄγριος μορφήν. H. f. 525 τέκνα κρᾶτας ἐξεστεμμένα. 1082 ὡρμισμένος νεανίαν θώρακα καὶ βραχίονα. Hip. 1334 σάρκας νεαρὰς ξανθόν τε κάρα διαλυμανθείς. Rhe. 73 νῶτον χαραχθείς. Cyc. 431 πτέρυγας ἀλύων. 656 κατηνθρακώμεθ' ὀφθαλμῶν σέλας. 501 σκάφος (ventrem) γεμισθείς. 225 πρόσωπον φαλακρὸν ἐξῳδηκώς. Hec. 1013 τυφλοῦμαι φέγγος ὀμμάτων. Ion 895 χαίταν μαρμαίρων. Sup. 587 στόμα ἀφρῷ καταστάζων. 504 καταξανθέντες ὀστέων ῥαφάς. El. 1107 δυσείματος χρόα. Or. 218 ἀσθενῶ μέλη. 379 ἠγρίωσαι πλόκαμον αὐχμηρόν. Med. 1158 τρέμουσα κῶλα. Tro. 482 τρίχας ἐτμήθην. I. T. 275 ὠλένας ἄκρας τρέμων. 300 στάζων ἀφρῷ γένειον. fr. 690 ὄμμα πυρὸς γέμεις. Ba. 1175 codd. νέος ὁ μόσχος ἄρτι γέννυν ὕπο κόρυθ' ἁπαλότριχα βάλλει. Quae verba difficillima apte construi non possunt. Hermanni coniecturam ἄπο pro ὕπο si sequimur, omnia bene procedunt; κόρυς i. e. capitis tegumentum metonymia liberrima pro ipso capite dictum est: vitulus hic, iuvenis adhuc genas (νέος γέννυν) caput amisit. — Eiusdem generis sunt: I. A. 1434 ἀλγεῖν φρένα. Hec. 357 ὠμὸς φρένας. 576 ψυχὴν ἄριστος. El. 177 θυμὸν πεπόταμαι. Hip. 247 γνώμην ὀρθοῦσθαι. Sup. 189 πεποίκιλται τρόπους. Her. 619 μηδ' ὑπεράλγει φροντίδα. And. 353 ἐξομοιοῦσθαι φύσιν. Phoe. 124 Μυκηναῖος γένος.

Aliae et quaesitiores huius modi dictiones sunt: Sup. 1089 αἰῶνα δ' οὐκ ἔξεστιν scl. γνώμαις ὑστέραις ὀρθοῦσθαι, quod ad vitam attinet, non licet. — Alc. 1091 χηρεύειν λέχος. — Her. 202 πόλιν μὲν ἀρκεῖ. i. e. de civitate satis dictum est. Kirchhoffius se lectionem correxisse dicit in πόλει, quod cur fecerit, non addidit. — Hec. 110 ἔσχε σχεδίας λαίφη προτόνοις ἐπερειδομένας i. e. ὧν τὰ λ. ἐπερείδονται. — Or. 220 φίλον τοι τῷ νοσοῦντι δέμνιον, ἀνιαρὸν ὂν τὸ κτῆμα. Fortasse cum Hermanno Stobaeo auctore scribendum est δέμνια ὄντα, nam accusativum τὸ κτῆμα languere neminem fu-

gerit. — Or. 423 *οὐδ' ἥγνισαι σὸν αἷμα χεροῖν* i. e. non purgatus es sanguine, qui manus tuas maculat. — H. f. 861 *ἀμπνοὰς οὐ σωφρονίζει* immoderate anhelat. — Ba. 736 *θᾶσσον δὲ διεφοροῦντο σαρκὸς ἐνδυτά.* Monet Elmsleyus, ne *ἐνδυτά* nominativum esse opinemur, esse accusativum, ut duobus versibus antea *ἐσφάλλοντο δέμας.* *Ἐνδυτὰ σαρκός* ipsae *σάρκες* habenda sunt, ut Sup. 717 *ὅπλισμα δεινῆς κορύνης* i. e. ipsa *κορύνη.* — I. T. 1314 *νεὼς σκάφος ταρσῷ κατήρει πίτυλον ἐπτερωμένον* i. e. navis, quod ad remigium attinet (*πίτυλον*), remis bene instructa et alata. Caveamus autem, ne verba intelligamus, quasi navis iam a terra in altum profecta sit et remigio propulsetur; verba enim sequentia Orestem et Pyladem etiamnunc in terra esse navemque retinere ostendunt. Quam ad inconcinnitatem tollendam Hermannus v. 1314 post v. 1344 transposuit, quod tot versibus interiectis audacius esse mihi videtur. Bene Weckleinius adnotat, in *ἐπτερωμ.* non motum inesse sed imaginem, qua remos cum veris alis comparaverit poeta, ut Od. λ. 125 *εὐήρε' ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται.*

Adverbia. — Praeter pronomina et adiectiva illa, antea allata, quae adverbialiter exstant, ex hoc acc. multa alia adverbia profecta sunt. Quorum a generibus enumerandis abstinere posse mihi videor. Kuehnerus § 410 7, 11, 15, 16 plurimis exemplis ea illustravit. Perpaucos modo locos e magna copia, quae praesto est, elegerim.

Χάριν significans „alc. rei causa" saepissime cum pronominibus velut *σήν, ἐμήν* aut cum gen. pers. coniungitur. I. T. 566 autem adiectivum accusativo illi adicere ausus est poeta: *κακῆς γυναικὸς χάριν ἄχαριν ἀπώλετο* „ob causam, quae causa esse non debebat, quae prava erat causa". Seidl. Similem constructionem exhibet Soph. Ai. 176 *ἤ πού τινος ἀκάρπωτον χάριν* et Trach. 485 *κείνου τε καὶ σὴν ἐξ ἴσου κοινὴν χάριν.*

Frequenter formulae occurrunt velut Her. 676 *τοὐμὸν μέρος.* — Hec. 876 *σὸν οὐκ ἔλασσον ἢ κείνης χρέος.* 958 *τί χρῆμ' ἐπέμψω τὸν ἐμὸν ἐκ δόμων πόδα;* Her. 633,

Alc. 528. — Hec. 1140 *πολεμίων δίκην.* — H. f. 909 *τίνα τρόπον ἔσυτο;* I. A. 980 *ἀγαθοὶ τρόπον τινὰ μισοῦσιν τοὺς αἰνοῦντας.* Hip. 1290 *ἐκδεῖξαι σῆς γυναικὸς οἶστρον ἢ τρόπον τινὰ γενναιότητα.* — I. T. 500 *τὸ μὲν δίκαιον δυστυχεῖς καλοίμεθ' ἄν* i. e. *δικαίως* et cum Seidlero intelligo: si iustam seu veram rei rationem spectas, non, ut vult Weckl., supplendum esse existimo *ὄνομα*, quasi ex analogia *καλεῖν ὄνομά τινα* dictum sit. — Her. 687 *ἀλλ' οὖν μαχοῦμαί γ' ἀριθμὸν οὐκ ἐλάσσοσιν.* — I. A. 357 *'Αχιλλεῖ πρόφασιν ὡς γαμουμένῃ.* Ba. 217. — Alc. 859 *κύκλον* (i. e. *κύκλῳ*) *περιβαλὼν χεροῖν ἐμαῖν* scl. *Θάνατον.* — Ba. 1055 *κυκλοῦται δ' ὥστε τόξον ἢ κυρτὸς τροχὸς τόρνῳ γραφόμενος περιφορὰν ἕλκει δρόμον.* Adverbialis accusativi *περιφ.* notio ab Hermanno defensa est, cum alii editores locum false interpretati neque recte interpungentes vanis coniecturis vexaverint. Sensus autem est: Vertitur ut rota curvata, circulo circuitum (quod ad c. attinet) descripta, cursum trahit. — Or. 1262 *δόχμια νῦν κόρας διάφερ' ὀμμάτων ἐκεῖθεν ἐνθάδ', εἶτα παλινσκοπιάν.* Qui acc. adverbialescens, Porsoni coniectura e codicum varia lectione restitutus, expediendus est, quasi pendeat e verbo videndi, quod e *διάφερε κόρας* subaudiendum est.

Accusativus hypotacticus.

Cuius de natura cum in praefatione iam dixerim, statim ad ipsa verba, e quibus accusativus pendet, accedam Kuehneri dispositionem secutus. Quamquam poeta hac in parte non multum a vulgari dicendi usu discessit, tamen quaedam occurrunt, quae propter constructionem insolentiorem adnotatione digna sunt.

Verba iuvandi et nocendi. (K. 257. 1) — *ἀρέσκειν* c. acc. pers. Hip. 105 *οὐδείς μ' ἀρέσκει* 183. Or. 200. — *ἁνδάνειν* usu rarissimo c. acc. exstat Or. 1617 *οὐ γάρ μ' ἁνδάνουσιν αἱ κακαί.* Plurimi editores *μ'* deleverunt contra scholiastae auctoritatem, qui adnotat: *ἢ μοι νόει ἢ με, τὸ γὰρ ἁνδ. πρὸς δοτικὴν καὶ πρὸς αἰτιατικὴν εἴρηται ὡς καὶ τὸ*

ἀρέσκειν. Pronomen igitur ille iam ante oculos habuit neque ego deleverim, quia servato *μέ* oratio distinctior fit et Orestis defensioni, qua se de matris caede adversus Menelaum excusat, aptior redditur. — Huc quoque spectat Med. 12 *ἁνδάνουσα μὲν φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα* scl. Medea, quae Corinthum venit. Nauckius, quippe qui in at-

ὧν

tractione illa, orta ex *πολίταις-ὧν* offenderit, sagacissime *λανθάνουσα* scribendum esse coniecit, quod sensu postulari multis verbis frustra demonstrare studet. Neque propter offensionem grammaticam mutatione opus est, cum attractionis illius inversae, quae dicitur, licet sit rarissima, exemplum afferri possit e Soph. El. 653 *φίλοισί τε ξυνοῦσαν καὶ τέκνων ὅσων* sq. ubi gen. *τέκνων* e dativo repetendus est. Attamen si hanc constructionem audaciorem poetam nostrum admisisse non existimamus, Orestis fabulae versu illo testimonio usi quid obstat, quominus genitivum ad acc. revocemus, quem verbum illud sequi posse vidimus? — Singularis quaedam constructio est Or. 795 *εἴ σε μὴ ἐπαρκέσω*, quod verbum aliis locis semper c. dat. coniunctum est.

Alia verba, quae proprio sensu intransitiva cum dat. pers. construi solent, transitiva notione instructa accousativum rei praeter dativum desiderant, velut *ἀρήγειν τινί τι* i. e. opitulari alcui contra alqd. h. e. arcere alqd. ab. aliquo. Her. 840 *αἰσχύνην πόλει.* Med. 1265 *φόνον τέκνοις.* Tro. 779 *παιδὶ θάνατον.* — *ἀμύνειν* Or. 617 *τῷδε φόνον.* Rhe. 779 *θῆρας πώλοισιν.* H. f. 192 *τῷ σώματι θάνατον.* Phoe. 745 *τειχέων προσαμβάσεις* scl. *πόλει.* — El. 1296 *οὐκ ἠρκέσατον κῆρας μελάθροις.* — Phoe. 938 *ὃς γηγενεῖ δράκοντι τιμωρεῖ φόνον.* — *σαίνειν* i. e. canum more blandiri c. acc. exstat plane contraria significatione Rhe. 55 *σαίνει μ' ἔννυχος φρυκτωρία.* Ion 697 *οὐ γάρ με σαίνει θέσφατα.* — *λατρεύειν* bis c. acc. repperi El. 130 *τίνα πόλιν, τίνα δ' οἶκον;* I. T. 1090 *παῖδ' Ἀγαμεμνονίαν.* — *θωπεύειν* Her. 983 *σέ.* Med. 370 *τόνδε.* — *λοιδορεῖν* Hel. 1170 *ἐμαυτόν.* Hec. 1215 *δεσπότας.* — *προσωφελεῖν*, quod semper c. dat. coniungitur (cf. Alc. 41 And.

50. Her. 330. Sup. 378), accusativum secum habet Her. 519 *κακούς*.[1])

Hoc loco mentionem fecerim duplicis illius constructionis verbi *διδόναι*, aut *τὶ τινί*, id quod vulgo legitur, aut usu rariore *τινὰ τινί*, cuius exempla habeo: Tro. 1164 *βόστρυχον φιλήμασιν*. Hel. 868 *κέλευθον καθαρσίῳ φλογί*. 1384 *λουτροῖς χρόα* (Or. 42 *λουτρὰ χρωτί*). Hec. 926 *βούταν αἰνόπαριν κατάρᾳ* (Phoe. 1613 *ἀρὰς παιδί*).

Ita quoque *δωρεῖσθαι* constructum est. Her. 1028 *πόλιν χρησμῷ Λοξίου*. Or. 117 *σὲ ταῖσδε χοαῖς*.

Verba bene, male-dicendi, faciendi. (K. 252. 2) Quae cum nihil habeant, in quo morari necesse sit, breviter ea modo attingam. *κακορροθεῖν*. Alc. 718 *παῖδα*. Hip. 340 *συγγόνους*. — *δυσφημεῖν*. Hec. 179 *μέ*. Her. 600 *θεάν*. — *εὐλογεῖν*. Hec. 461. Phoe. 970. Sup. 927. Ion 137. 1621. — *εὐεργετεῖν*. Alc. 871. Hip. 690. Hel. 1019. — I. A. 373 *βούλομαί σ᾽ εἰπεῖν κακῶς εὖ* i. e. bene tibi maledicturus sum. Quam lectionem omnibus libris et per Stobaeum firmatam non recte mutaverunt in *αὖ*. Multum enim poeta talibus in oxymoris ludit. V. Pflugk. ad l. — De duplici acc., in quo verba illa multo saepius occurrunt, videas infra.

Verborum dicendi et vocandi c. acc. obiecti specimina sunt: Hec. 668 *ζῶσαν λέλακας*. 865 *τοὺς αἰχμαλώτους εἶπας*. — Hip. 166 *τὰν τόξων μεδέουσαν ἀύτευν Ἄρτεμιν*. — Tro. 590 *βοᾷς τὸν παῖδα*. And. 1097 *βοᾷ δὲ Δελφῶν παῖδας* i. e. inclamat. Phoe. 1161 *βοᾷ πῦρ καὶ δικέλλας* clamando postulat. Med. 21 *βοᾷ δ᾽ ὅρκους* clamans obtestatur.

Tro. 880 *προσεύξομαί σε* pro *σοί*, quod secundum vulgarem usum desideratur. Cf. H. f. 1295. Hip. 116. And. 1077 *κατεύχ.*

Singularis verbi *κελεύειν* constructio est Phoe. 39 *καί*

---

1) Verbum ὠφελεῖν, in pedestri sermone semper c. acc. constructum, poetam cum dativo quoque coniunxisse adnotare liceat, cf. H. f. 497, Her. 679. Or. 659, 674. And. 667 τοῖς ἐμοῖς ἐπωφελῶν.

νιν κελεύει τροχηλάτης· ὦ ξένε sq. Apud Euripidem quidem alterum eiusmodi locum non legi, cum ex Homero afferri possit Od. δ. 274 κελευσέμεναι δέ σ' ἔμελλεν δαίμων. Potius exhortandi quam iubendi vis inesse videtur. Aliis locis acc. c. inf. verbum sequitur, et Cyc. 81 Aldinae lectionem ποίμνας ἀθροῖσαι προσπόλοις κελεύσατε cur Hermannus receperit, nescio, cum meliores codd. προσπόλους habeant, qui acc. cum trita verbi structura facit.

γράφειν transitive exstat: Tro. 1178 τί καί ποτε γράψειεν ἄν σε μουσοποιὸς ἐν τάφῳ. I. A. 35 δέλτον γράφεις τήνδε.

Verba cantandi Alc. 459 σὲ μέλψουσιν. Ba. 153 Διόνυσον. I. T. 213 Ἥραν. — Ba. 71 Διόνυσον ὑμνήσω. — I. T. 1068 πόσιν κελαδεῖς. Tro. 121 ἄτας. H. f. 678 Μναμοσύναν. Cf. Pind. Ol. 6. 88 Ἥραν Παρθενίαν κελαδῆσαι.

Verba manendi et sustinendi et contraria. (K. 253. 3.) Perpauca in medium proferenda sunt. And. 973 θάρσει γέροντος χεῖρα. — 262 ἐγκαρτερεῖς δὴ θάνατον. H. f. 1339. — ὑφίστασθαι. Sup. 191 πόνον. Cyc. 198 μυρίον ὄχλον. Tro. 416 τῆσδ' ἔρωτα. — ἀποστρέφεσθαί τινα h. e. se avertere, repudiare I. T. 789 μέ, Hel. 78, Or. 712. Supp. 161 τὸ θεῖον. Cyc. 297 librorum scripturae difficili νόμοις δὲ θνητοῖς εἰς λόγους ἀποστρέφῃ, ἱκέτας δέχεσθαι, cui sunt, qui sensum ineptum inesse velint: humanis legibus animum ad sermonem meum adverte, cum contrarium verbum significet, lenissima Hermanni coniectura praeferenda esse mihi videtur, qui, Musgravii mutatione νόμος recepta, scripsit εἰ λόγους sq. h. e. si nihil apud te valent, quae de nostris meritis (in quibus Ulixes gloriatus erat) dixi. — μυσάττεσθαι fastidire, legitur Med. 1138 παίδων εἰσόδους.

Verba iurandi (K. 254, 4.) et personam et rem, per quam quis iurat accusativo accipiunt. Or. 1526 τὴν ψυχὴν κατώμοσ' ἣν ἂν εὐορκοῖμ' ἐγώ. Hip. 709 ὄμνυμι σεμνὴν Ἄρτεμιν. 1022 Ζῆνα καὶ πέδον χθονός. Med. 741, 747 sq.

Particulis iurandi utitur: And. 914 μὰ τὴν ἄνασσαν.

Cyc. 9 *οὐ μὰ Δία.* 550 *ναὶ μὰ Δία.* 578 *νὴ τὰς χάριτας.* Ba. 523 *ναὶ τὰν βοτρυώδη οἶναν.*

Verbi impersonalis *δεῖ* (K. 254. A. 5.) constructionem vulgarem esse *μοὶ τινός* notum est. Poetae autem pro dat. saepissime accusativum personae adhibent. H. f. 1158 *εἴ τι δεῖ ἢ χειρὸς ὑμᾶς τῆς ἐμῆς ἢ συμμάχων.* Hel. 1425, Phoe. 924, Sup. 793, Hip. 23, 493, 684, Her. 1002, Ion 1024, Rhe. 830. Insolentius accusativus rei ita dictus est Phoe. 471 *κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων,* ubi *τἄνδιχ'* nominativum ne habueris. — Accusativum pro gen. rei, qui adhiberi potest, si pronominis vel adiectivi est, semel repperi Sup. 595 *ἓν δεῖ μόνον μοι* (I. T. 1027 *ἑνὸς μόνου δεῖ*). — Dativus cum inf., usus rarissimus pro acc. c. inf., sequitur *δεῖ* Hip. 937 *θεοῖσι προσβαλεῖν χθονὶ ἄλλην δεήσει γαῖαν.* — Eadem est constructio verbi imp. *χρή* Ion 1319 *τοῖσι δ' ἐνδίκοις ἱερὰ καθίζειν ἐχρῆν,* quam frustra Dobraeus tentare mihi videtur, qui scripsit *τοὺς δέ γ' ἐνδίκους.* Nam cum et Aeschylus et Sophocles locum exhibeant, quo *χρή* cum dat. coniunctus est, alius locus alii praesidio est et nimis arguti fuerunt, qui lectionem traditam removere studerent. Soph. Ant. 736. *ἄλλῳ γὰρ ἢ ἐμοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός;* Idem Dobr. hic *με* pro *γε* posuit, ut *ἄλλῳ* et *ἐμοί* dativi commodi sint. Aesch. Eum. 710 *ὀρθοῦσθαι δὲ χρὴ αἰδουμένοις τὸν ὅρκον.* Canterus *αἰδουμένους.*

Hec. 957 *τίς χρεία σ' ἐμοῦ;* (cf. Il. *Λ* 606 *τί δέ σε χρεὼ ἐμεῖο;*) in qua locutione, ad populi sermonem revocanda, omissum est *ἔχει,* cf. Soph. Phil. 646 *ὅτου σε χρεία καὶ πόθος μάλιστ' ἔχει.*

Verba ad animi affectus spectantia. (K. 255. 5.) Quorum multa (*φυλάττεσθαι, αἰσχύνεσθαι, αἰδεῖσθαι* cet.) ab omnibus scriptoribus transitive adhibentur. Alia autem verba sunt, quae, in pedestri sermone intransitive constructa, poetae, raro ipsi quidem, transitiva faciunt. Kuehnerus quod Il. *E.* 361 *ἤχθετο ἕλκος* hoc loco et sub acc. imman. p. 271 laudavit, dubitasse videtur, cuinam generi adscriberet. Mihi autem *ἤχθετο* transitive accipiendum esse persuasum est ut *N* 353

ἤχθ. δαμναμένους. Compositis enim verbis illis cum Λ 274 ἤχθ. κῆρ, ubi acc. et transitivus esse potest, si id, quod aegre fertur, continet: ich ärgere mich über mein Herz, et immanens, si, qualis fuerit illa aegritudo, describitur: ich ärgere mich in meinem Herzen, hac ratione illud ἤχθ. ἕλκος expediri non posse apparet.

Eandem constructionem insolentem poeta noster secutus est in verbis laetandi, quae paucis locis transitiva fecit. Hip. 1329 τοὺς γὰρ εὐσεβεῖς θεοὶ θνήσκοντας οὐ χαίρουσιν. Rhe. 389 χαίρω σ' εὐτυχοῦντα. fr. 330 ὅστις δόμους μὲν ἥδεται πληρωμένους.

Verba timendi. φοβεῖσθαι And. 974 τὸν Ἀχιλλέως παῖδα. Phoe. 270 cet. — ταρβεῖν And. 899 πόσιν. El. 259 τοῦτ' αὐτό. Or. 118 Ἀργεῖον ὄχλον. 543 σὴν τρίχα. — τρεῖν El. 218 ἐμὴν χεῖρα. Her. 500 ἐχθρὸν Ἀργεῖον δόρυ. Phoe. 1084 τόδε. — φρίσσειν Hip. 419 σκότον, 850 τὸ πῆμα. Cyc. 318 Διὸς κεραυνόν. — And. 791 πόσιν τρέμουσα. — El. 829 ὀρρωδῶ τινα δόλον θυραῖον. — Hec. 1044 ποῖ καί με φυγᾷ πτώσσουσι μυχῶν; — Ba. 1340 τί δῆθα μέλλεθ' ἅπερ ἀναγκαίως ἔχει;

Verba lamentandi et lugendi. ἀλγεῖν Ba. 1316 τὸ σόν. — ἀσχάλλειν Or. 776 θάνατον πατρῷον. — γοᾶσθαι Tro. 287 μέ. — δακρύειν Hel. 1226 ἥδε συμφορὰ δακρύεται. — δύρεσθαι Med. 160 σὸν εὐνέταν. — θρηνεῖν Hec. 665 Πολυξένην. Hel. 605. — θρηνῳδεῖν I. A. 1777 τήνδε. — ἰαχεῖν Phoe. 1301 νέκυν ὀλόμενον. — κλαίειν Alc. 774 δέσποιναν. 954. — οἰκτείρειν Phoe. 1450 σέ. Sup. 170. — οἰμώζειν El. 246 ἀδελφὸν σόν. I. T. 846, Hip. 1398. ἀποιμ. Med. 31 πατέρα φίλον. Alc. 646, 780. — ὀλοφύρεσθαι Rhe. 889 σέ. — πενθεῖν H. f. 1379 ἅπαντας. Med. 269, Alc. 81, I. A. 1441. — στένειν Alc. 954 δεσπότιν. And. 96, Or. 77, Phoe. 1439. — στενάζειν Alc. 242 τὰν ἀρίσταν γυναῖκα. Ba. 1016, H. f. 248, 1052. — Verbum motum significans, quem in luctu Graeci ostentabant, exstat Tro. 629 κἀπεκοψάμην νεκρόν. Homerum imitatus est, qui κόπτεσθαι et τύπτεσθαι ita usurpavit, nec non Herodotus 2. 132 eodem sensu dicit τυπτ. τὸν

θεόν. Causa igitur non est, cur Nauckius scripserit κἀπεκλαυσάμην.

Alia pauca verba, quae non omiserim, sunt ἐκπαγλεῖσθαι valde mirari, stupere. Hec. 1135 τέκνα. Tro. 922 τοὐμὸν εἶδος. Or. 882 πατέρα. — κομπεῖν. Rhe. 427 τὰς ἐμὰς ἀμυστίδας. — ἐπεύχεσθαι i. e. iactari in re. Rhe. 683 μέγα θράσος. I. T. 496 τὸ κλεινὸν Ἄργος πατρίδ' ἐμήν. — θαμβεῖν Ion 1208 ὄρνιθος πόνους. I. A. 1558 εὐψυχίαν.

Verba, quae motum continent. (K. 257. 6.) In quibus praecipue respicienda sunt verba saltandi, quibuscum acc. obiecti ita coniunctus est, ut ad deum vel hominem pertineat, qui saltatione illa celebretur. H. f. 684 αἵ μ' ἐχόρευσαν, choreis me celebrabant. 870 ὀλεῖς μανιάσιν Λύσσας χορευθέντ' ἐν αὐλοῖς. Ion 1082 ἀνεχόρευσεν αἰθήρ, χορεύει δὲ σελάνα — τὰν χρυσοστέφανον κόραν καὶ ματέρα σεμνάν. Ex utroque verbo acc. pendere potest; ad. ἀναχ. cf. Ba. 1142 ἀναχορεύσωμεν Βάκχιον. Or. 575 οὐκ ἄν με μισῶν ἀνεχόρευ' Ἐρινύσιν h. e. excitare. — H. f. 688 τὸν Λατοῦς γόνον εἱλίσσουσα καλλίχορον. I. A. 1479 εἱλίσσετ' ἀμφὶ ναὸν τὴν Ἄρτεμιν. — Ita quoque construitur βακχεύειν h. e. bacchari, significans: in furorem bacchicum impellere H. f. 956 φόνος σ' ἐβάκχευσεν. Or. 403 αὗταί σε βακχεύουσι συγγενεῖ φόνῳ. 827 βεβάκχευται μανίαις. —

Dignissimum, quod non negligatur, est ἀίσσειν, cuius verbi transitive cum πόδα coniuncti, iam p. 32 mentionem habuimus. Or. 1423 αὔραν εὐπᾶγι κύκλῳ ᾄσσων movendo excitans. Ba. 143 ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων πυρσώδη φλόγα πεύκας ἐκ νάρθηκος ἀίσσει, ignem e narthice elidit. — I. T. 184 Musgravius ut locum difficillimum expediret, scripsit μόχθους (codd. μόχθος) δ' ἐκ μόχθων ᾄσσει, referens verba ad sequens Ἅλιος. Locus autem corruptissimus est, quem nondum quisquam omni ex parte sanare potuit.

Verborum intransitivorum, quae cum praep. composita transitiva facta sunt, cum tanta copia sit, quam aegre enumerare possis, paucis me continebo et quaesitiores quasdam constructiones, imprimis verborum eundi proferam.

ἐκβαίνειν H. f. 82 γαίας ὅρια. Ba. 1033 Ἀσωποῦ ῥοάς (cf. Phoe. 130 ὕδωρ ἐξαμείβειν). I. T. 98 δωμάτων προσαμβάσεις. — παραβαίνειν Ion 237 θεοῦ νόμον negligere. Hec. 692 οὔ με παρέβα φάσμα non fugit me. — ὑπέρχεσθαι Med. 57 ἵμερός μ' ὑπῆλθε. And. 434 δόλῳ τινά Hip. 991, Sup. 140, El. 745, I. A. 67 fallere. Cf. Or. 663 ὑποτρέχων σε. — παρέρχεσθαι And. 230 τὴν τεκοῦσαν τῇ φιλανδρίᾳ. Ba. 898 ἕτερον ὄλβῳ καὶ δυνάμει. Alc. 706 τὴν τύχην superare alqm. Sup. 233 βίᾳ θεούς negligere. — διέρχεσθαι Hel. 114 δέκα ἔτη. 775. I. T. 660 λόγον deliberare. — μετέρχεσθαι et μέτειμι. I. T. 13 τοὺς γάμους Ἑλένης. And. 260 θεά ἤ μέτεισί σε ulcisci. Ba. 703 θεὸν εὐχαῖς deum precibus adire. El. 582 βόλον. Phoe. 1657 μέρος γῆς. And. 1023 νεκρόν. Med. 6 τὸ πάγχρυσον δέρος appetere. Cf. locum Cyc. 278 iam p. 48 laudatum. — ὑπερτρέχειν Tro. 923 θεὰς κάλλει. Hel. 1525 ναύτας superare. — ὑπερβάλλειν Alc. 807 τὰς τύχας. 841 θυμοῦ τάσδε πύλας negligere. Or. 684 μάχῃ Ἄργος superare. 437 γᾶς ὅρους. 1654. Rhe. 837 λόχους Τρώων transgredi. — El. 622 προσηκάμην τὸ ῥηθὲν Hesych.: ἀρέσκεται, προσδέχεται, ἡδέως λαμβάνει. — De ὑφίστασθαι et ἀποστρέφεσθαι v. p. 57. — κατάρχεσθαι de sollemnitatibus et caeremoniis dicitur. Hec. 675 νόμον βακχεῖον. Or. 952 στεναγμόν. Eodem modo ἐξάρχειν et ἐξάρχεσθαι Tro. 147 μολπάν. I. T. 731 ὅρκον. I. A. 431 κανᾶ. — ἐνάρχεσθαι El. 1142 κανοῦν. I. A. 1470 κανᾶ. 954 πικροὺς προχύτας χέρνιβάς τε. — Huc quoque traxerim Med. 93 πρὶν κατασκῆψαί τινα postquam se immisit in alqm. Idem verbum c. εἰς legitur Hip. 1412 ὀργαὶ κατασκήψουσιν εἰς τὸ σὸν δέμας. — Hip. 1281 πῶς πτηνὸς ἄνω μεταβὰς βίοτον πήματος ἔξω πόδα τοῦδ' ἀπέχεις. Quo loco, si integer est, fieri non potest, quin cum scholiasta verbum interpretemur μεταβιβάσας, μεταβαλών, μεταλλάξας ζωήν. Maxima autem libertate usus est poeta, commutans aoristum intrans. cum transitivo. — Phoe. 733 τί δ' εἰ καθιππεύσαιμεν Ἀργείων στρατόν perequitare, niederreiten, quod ab loco alienum ratus Hermannus scripsit Ἀργείον στρατοῦ, ut esset adequitare, auctore scho-

liasta, qui εἰ ἔφιπποι ὁρμήσαιμεν ἔπι adnotat. Alius autem commentator εἰ δι' ἵππων καταδράμοιμεν dicit, quae perequitandi notio aptior est, cum Eteoclis hostes conficere intersit et quomodo hoc fieri possit, interroget.

Pluribus locis verbum intrans. una cum substantivo apposito nova et transitiva significatione imbuitur, e qua accusativus pendet. Substantivum autem illud saepe ipsum accusativo exstat, quibus de formulis postea sub dupl. acc. videbimus; dativi pauca exempla hic absolverim. And. 1172 θανόντα δεσπόταν γόοις κατάρξω i. e. γοᾶσθαι ἄρξομαι. — Or. 852 προσῆλθεν ἐλπίς, ἣν φοβουμένη πάλαι τὸ μέλλον ἐξετηκόμην γόοις pendet τὸ μ. ex ἐξετ. γόοις quasi dicta sint pro γοᾶσθαι. — Phoe. 1550 πόδα θεραπεύμασιν ἐμόχθει i. e. multo cum labore curare. — H. f. 11 ἣν πάντες ὑμεναίοισι — λωτῷ συνηλάλαξαν quam hymenaeis tibiisque conclamantes omnes salutaverunt. Similes tres loci sunt, in quibus acc. e phrasibus pendet. I. A. 1196 ταῦτ' ἦλθες ἤδη διὰ λόγου i. e. διελογίσω. Hec. 834 σὸν παῖδα δι' οἴκτου ἔχω i. e. οἰκτίζω. I. T. 671 ταῦτα δι' αἰσχύνης ἔχω i. e. αἰσχύνομαι.

Verba cum substantivi accusativo composita (K. 259. 9). Proprium est linguae graecae, verbum cum acc. obiecti contrahere in unam vocem, e qua aliud obiectum pendeat, velut νουθετεῖν, quod, compositum e νοῦν et τιθέναι, respondet latino animadvertere. Med. 209 θεοκλυτεῖ Θέμιν. Phoe. 171 ἅρμα λευκὸν ἡνιοστροφεῖ. Cyc. 357 κρεοκοπεῖν μέλη. 458 τρύπανον κωπηλατεῖν. Med. 1020 γηροβόσκειν ἐμέ. Or. 36 αἷμά νιν τροχηλατεῖ El. 1249. Rhe. 75 ἀρούρας γαπονεῖν. 781 ἵππους διφρηλατεῖν. Her. 728 παιδαγωγεῖν τὸν ὁπλίτην. Ba. 186 γέροντα. H. f. 1391 ὁδηγήσω σε. Ba. 546 θυρσοφορεῖς θιάσους „thyrsum gerendo coetus concitas". Matth. Ναυστολεῖν de re navali ad alias res transfertur: Hel. 801 σέ Or. 733 δάμαρτα. Sup. 475 πόλιν. I. T. 587 τὰς συμφοράς. Med. 677 χθόνα.

Accusativus pendens ex adiectivo, a verbo trans. derivato (K. 254 A. 4b). H. f. 779 πατρὸς ὕδωρ

βᾶτε λιποῦσαι συναοιδοὶ νύμφαι τὸν Ἡρακλέους καλλίνικον ἀγῶνα. Recte illi interpretes fecerunt, qui *συναοιδοί* i. e. *συναείδετε ἀγῶνα* coniungenda esse voluerunt contra alios, quibus *ἀγῶνα* ad *βᾶτε* referendum esse placuit. — I. A. 1257 *ἐγὼ τά τ' οἰκτρὰ συνετός εἰμι* i. e. *συνίημι.* — Rhe. 625 *τρίβων εἶ τὰ κομψά.* Med. 681 *τρ. τὰ τοιάδε* h. e. versatus, astutus in re. — Phoe. 351 *ὄλοιτο, τάδ' εἴτε σίδαρος εἴτ' ἔρις εἴτε πατὴρ ὁ σὸς αἴτιος* scl. *ἐστίν* i. e. *εἰργάσατο.* Quocum conferre non licet Hel. 260 *τέρας γὰρ ὁ βίος καὶ τὰ πράγματ' ἐστί μοι, τὰ μὲν δι' Ἥραν τὰ δὲ τὸ κάλλος αἴτιον.* Nam si verba ita intelligeremus, ut *τάδε* obiective penderet ex *αἴτιον*, duae res (*βίος* et *τὰ πράγματα*) distinguerentur, quarum altera per Heram, altera ipsius Helenae pulchritudine *τέρας* facta esset. Quod sententiae non convenit; dicere enim vult Helena, cum Heram tum *τὸ κάλλος* causam fuisse, cur vita et res suae portentum facta essent. Itaque *τὰ μέν — τὰ δέ* hoc loco adverbialiter partim — partim intelligenda sunt.

E substantivis quoque eodem modo acc. pendere potest. Her. 738 *τοῦτο γὰρ φόβος.* Tro. 241 *τόδε, ὃ φόβος ἦν πάλαι. Τοῦτο* et *ὅ* pendent e verbis *φόβος ἦν*, dictis pro *φοβεῖσθαι.* Etiam substantivum personale ita cum acc. construitur, quam licentiam vereor ut apud alium scriptorem invenias. Her. 65 *μάντις δ' ἦσθ' ἄρ' οὐ καλὸς τάδε* h. e. *τάδε οὐ καλῶς ἐμαντεύσω.* — Nonnullis locis de natura accusativi dubitare licet. I. A. 149 *ἢν γάρ νιν πομπαῖς ἀντήσῃς.* Hermannus adnotat: dubium esse an *νιν* a metrico insertum sit; sin ab Euripide scriptum sit, *νιν* e *πομπαῖς* pendere putandum esse: *τοῖς πέμπουσί νιν.* Metricum autem tam quaesitae constructionis auctorem esse non credo, neque Euripidi eam vindicare gravatus sim, si quidem verba integra sunt. Valde enim languere illud *ἢν γάρ*, ubi *ἢν δέ* desideratur, nemo non intelligit.

Ba. 574 *πέδον χθονὸς ἔνοσι πότνια.* Matth. chorum gravi animi motu correptum et perturbatum duo hos vocativos edidisse putat pro *πέδου* sq., quem genitivum Elmsleyus recepit. Hermannus hodie ita dici potuisse monet; apud

veteres autem tam inconcinnam orationem a tragoediae dignitate alienam fuisse. Ipse *πέδον* ex *ἔνοσι* pendere suspicatur; *ἔνοσις* autem revocandum est ad verbum obsoletum *ἐνόω* i. e. movere, concutere.

H. f. 167 *οὔκουν, τραφέντων τῶνδε, τιμωροὺς ἐμοὺς χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων δίκην.* Elmsl. ad Med. 256 coniungit: *τιμωροὺς δίκην τῶν δεδρ.* h. e. *τοὺς ἐμὲ τισομένους δίκην,* quae constructio defendi potest analogia verbi *ἀποτίνεσθαι* Her. 852. Non video, cur interpretatione tam artificiosa opus sit, cum multo facilius locus expediatur, si *δίκην* accus. appositionis ad *τιμ.* refertur.

Antequam huius capitis finem faciam, restat ut ea verba cum acc. coniuncta respiciam, quae e proprio usu genitivum desiderant.

Verba, quae significant, participem esse, fieri, (K. 294. 1) interdum ipsius partis significationem accusativo secum habent. Ba. 295 *Ἄρεώς τε μοῖραν μεταλαβὼν ἔχει.* Sup. 1083 *μετέλαχες τύχας μέρος.* — Ipsa res, cuius quis particeps fit, acc. exstat apud verbum *κοινοῦσθαι.* Ion 620 *τὰς συμφοράς.* Alc. 440 *πένθος γυναικὸς τῆσδε.* Tro. 61 *λόγους.* El. 1048 *τίς ἂν πατρὸς σοῦ φόνον ἐκοινώνησέ μοι,* quae verbi constructio apud alium scriptorem non reperitur. — *συναίρεσθαι* c. acc. Or. 759 *φόνον.* Rhe. 484 *δόρυ.* — *θιγγάνειν* c. acc. coniunctum esse voluerunt H. f. 954 *πατὴρ δέ νιν θιγὼν κραταιᾶς χερὸς ἐννέπει τάδε.* Verbum igitur et cum acc. et cum gen. constructum esset; quod fieri non potest, et in figura illa, quae vocatur *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος* altero quoque loco accusativus scribendus erat, si poeta verba ita intelligenda esse voluisset. Optime autem locus expeditur, si *νιν* ad *ἐννέπει* refertur. — *τυγχάνειν* non minus frequenter cum acc. quam cum gen. construitur, cf. Phoe. 1668, Med. 754, Alc. 697, Her. 525, Or. 680 cet. et apud *λαγχάνειν* plurimi scriptores accusativum genitivo praeferunt. — *κυρεῖν* Rhe. 113 *πολεμίους.* 685 *νίν.* Hec. 687. Her. 374 *οὐχ οὕτως ἃ δοκεῖς κυρήσεις.* Hip. 740 codd. *ἵν' ὁ ποντομέδων ναύταις οὐκέθ' ὁδὸν νέμει σε-*

μνὸν τέρμονα ναίων (var. l. *κύρων*) *οὐρανοῦ*. Schol. *ὅπου ὁ Ποσειδῶν οὐκ ἔτι δίδωσι τοῖς ναύταις διέξοδον, προσεγγίζειν εἰς τὸν ὠκεανόν* (*σέμν. τέρμ. οὐρ.*). Optime Hartungius ex his verbis scholiastam *κύρειν* legisse collegit, quod melius loco convenit, quam illud *ναίων* (*κυρῶν* omnino absonum est) ad *ποντομ.* pertinens.

E verbis cupiendi (K. 301. 4) usu rarissimo c. acc. exstant *ἐφίεσθαι* Rhe. 46 *νέαν βάξιν* et *τοξεύειν*. Tro. 257 *ἔρως ἐτόξευσ' αὐτόν*. Hec. 599 *καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην*.

P. 303. A. 11 Kuehnerus *ἀντᾶν* ab Euripide cum acc. constructum esse dicit I. A. 147; inesse enim verbis *πομπαῖς ἀντᾶν* notionem geleiten, quae accusativum postulet. Miror quod eam omnino falsam esse non vidit, quoniam desideratur begegnen. V. p. 63 — *ἀντιάζειν* implorare c. acc. And. 561. Ion 1121. Alc. 412. *ἄντομαι* Med. 704. Her. 226. Alc. 1100. Sup. 280.

Verba audiendi et genitivum et acc. ferre possunt. Discrimen autem illud, quod statuitur, verbum c. gen. coniunctum graviorem vim (animum intendere) continere, non nimis urgendum est. Promiscue enim hi casus adhibentur. Sup. 87 *τίνων γόων ἤκουσα καὶ στέρνων κτύπον;* El. 197 *θεῶν ἐνοπὰς κλύει, οὐ παλαιῶν σφαγιασμῶν*. Kuehn. 309 A. 7 pluribus verbis horum verborum constructiones illustravit, quibus non habeo, quae addam. — Obediendi notione *κλύειν* et *ἀκούειν* c. gen. pers. exstant Cyc. 117. Or. 400. Hel. 732.

Verba monendi, reminiscendi, obliviscendi. Alc. 310 *σύ μοι νῦν τῶνδ' ἀπόμνησαι χάριν*. And. 1142 *ἐμνημόνευσε παλαιὰ νείκη*. Cf. Her. 334 *μνημονεύσεται χάρις*. — 740 *οἷον ἥβήσαντά σε μεμνήμεθ' ἡμεῖς*. Alc. 891 *ἔμνησας ὅ μου φρένας ἥλκωσεν*. — Hel. 264 *τὰς τύχας ἐπελάθοντο*. Ba. 1261 *ἐκλέλησμαί γ' ἃ πάρος εἴπομεν*.

ποθεῖν transitive usurpatum est I. T. 1071 *Ἑλλάνων ἀγόρους, Ἄρτεμιν λοχίαν*. I. A. 633 *ὄμμα σόν*. Ion 372 *μητέρα ἀθλίαν*. — I. T. 504 codd. *σὺ τοῦτ' ἔρα*, sed cum

v. 518 ἐπειδὴ τοῦδ' ἐρᾷς legatur, ibi quoque, vulgari constructione restituta, τοῦδ' scribendum sit. Hermannus ἔρα improbans cum Seidlero ὅρα scribit, quia verba illa opprobrium contineant, quod certo in sororem conferre noluerit Orestes. Fugisse autem eum videtur, quod illo fabulae loco Orestes sororem nondum recognovit, neque opprobrium verbis inest, sed, Iphigeniae interrogationes non multum curans, omnino breviter et contractis verbis respondet. Quod Hermannus ne recte quidem ἐρᾶν, concupiscere, dictum esse opponit, causam non video, beneque Weckleinius hoc ἔρα ad antecedens ποθεινός refert, quasi dictum sit pro τόδε πόθει.

Verba, quae significant, prospicere rei. I. A. 730 παρθένους τημέλει. 303 σώματος. — Tro. 1224 τὰ δ' ἐν νεκροῖσι φροντιεῖ πατὴρ σέθεν. Her. 678 ταὐτὰ φρ. I. T. 335 τὰ δ' ἐνθάδ' ἡμεῖς οἷα φροντιούμεθα. — προσκέπτεσθαι c. acc. And. 257 τὸ σόν. Med. 457. c. gen. Phoe. 474 δωμάτων. — Ion 451 θνήσκοντας ἀμελεῖ. I. A. 1092 ἃ δ' ἀρετὰ θνατοῖς ἀμελεῖται. c. gen. Hel. 45 μοῦ. Ion 1617 παιδός. — Pro μέλει μοί τινος (Sup. 1211 θεῷ ᾧ Δελφῶν μέλει. Her. 480) Euripides saepius personalem verbi constructionem adhibuit. Sup. 941 οὗτος δμωσὶν ἂν μέλοι πόνος. Hip. 103, 576, Alc. 825, And. 831, Rhe. 614, I. T. 40. Eodem modo medium exstat Phoe. 760 γάμους σοι χρὴ μέλεσθαι (Hip. 109 σίτων μέλεσθε).

φθονεῖν pro usitato τινὶ τινός cum solo acc. notione missgönnen coniunctum est. I. T. 491 τί φθονεῖς τοῦτο; Ba. 996 τὸ σοφόν; Passive El. 30 παίδων δ' ἔδεισε μὴ φθονηθείη φόνῳ. Cum acc. c. inf. Med. 314 τὸ μὲν σὸν οὐ φθονῶ καλῶς ἔχειν.

Verba regnandi. κρατεῖν saepe c. acc. legitur. Alc. 506 δεσπότην. Hip. 403 τὴν Κύπριν. H. f. 50 Μινύας. Ion 1096 εὐσεβίᾳ ἄδικον ἄροτον ἀνδρῶν. — H. f. 28 τήνδε δεσπόζων πόλιν. — Sup. 228 ὁ θεὸς τὰς τύχας ἡγούμενος. — Proxime ab his absunt verba superandi. Her. 555 ὑπερφέρεις τόλμῃ τε τόλμαν καὶ λόγῳ χρηστῷ λόγον.

Hip. 1356 *σωφροσύνῃ πάντας ὑπερσχών.* De *ὑπερβάλλειν* v. p. 61.

Denique e verbis, quae cum praepositione genitivum desiderante composita contra usum et ipsorum significationem cum acc. constructa sunt, attulerim: Ba. 279 *καταγελᾷς νιν.* 492 *καταφρονεῖ με καὶ Θήβας ὅδε.* Alter locus alterum defendit neque causa est, cur in suspicionem vocati mutentur.

Non minus insolens est Rhe. 376 *ὁ θεός καταπνεῖ σε.* Cf. Med. 828 p. 78. Hec. 239 *φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν.* — Her. 417 *τῶν μωρίαν ἐμὴν κατηγορούντων,* quam codicum scripturam omnes fere editores mutaverunt in *μωρίαν ἐμοῦ*, et recte eos fecisse arbitror, cum haec constructio pluribus apud nostrum locis firmetur (Ion 936. Or. 28. Tro. 910. v. p. 38), illius autem exemplum aliud praesto non sit. Nam Soph. O. R. 529 *κατηγορεῖτο τοὐπίκλημα τοῦτό μου* mea sententia acc. immanens, non nominativus in *τοὐπίκλ.* statuendus est.

Ad acc. pro dat. positum non multa digna sunt, quorum mentionem habeamus. Ba. 810 codicum lectionem *ἄγ' ὡς τάχιστα· τοῦ χρόνου δέ σ' οὐ φθονῶ* Nauckius recte in *σοι* correxisse mihi videtur. Nam neque acc. ille alio loco defendi potest, neque crasis illa, qua *σοί* cum *οὐ* confluxisse Hermannus opinatur. Accedit, quod omissa negatione verba melius procedunt, siquidem Pentheus, qui vehementissime temporis momentum exspectabat, quo duce Baccho quem mutata facie ignorabat, in Cithaeronem montem, ubi bacchae versabantur, profecturus erat, deo apparatu bacchico se ornanti dicit: duc quam celerrime, *τοῦ χρόν. γάρ σοι φθ.* h. e. non multum otii tibi concedo.

Alc. 1130 codd. *ἀπιστεῖν δ' οὔ σε θαυμάζω τύχην,* quem acc. Pflugkius et Hermannus tenent, quia Admetum profiteri oporteat, se non credere verum esse, quod accidat; *τύχῃ* recte dictum esse de eo, qui fortunae inconstantiam vereretur. Bene autem Matthiaeus in lexico Euripideo s. v. *ἀπιστ.* eos refutat his verbis: ut *ἀπιστεῖν θεόν* est deum non credere

(nicht an Gott glauben), *ἀπιστεῖν θεῷ* deo, qui est, non confidere (Gott nicht vertrauen), sic est *ἀπ. τύχην* fortunam non credere h. e. non credere fortunam sibi aliquam obtigisse (nicht an einen Glücksfall glauben), *ἀπ. τύχῃ* fortunae non confidere (dem Glück nicht trauen). Illud si poeta voluisset, vel *τάδε* scripsisset pro *τύχην* vel *τήνδε* addidisset. Hoc igitur vult: non miror, te diffidere fortunae h. e. non miror, te fortuna toties delusum non credere, eam tibi iam subito obtigisse.

Verba cum *ἐπί* comp., quae propter praepositionis vim dativum desiderare crederes, cum acc. leguntur: Phoe. 1245 *πάντες δ' ἐπεῤῥόθησαν Ἀργεῖοι τάδε.* „Rectissime *ἐπεῤῥ.* cum eius rei, quam acclamatione tua comprobare vis, accusativo construitur". Pfl. Or. 276 *σὺ μὲν ἐπένευσας τάδε.* Quibus locis *τάδε* immanenter accipi non posse conexus docet. — I. T. 962 *δεινή τις ὀργὴ δαιμόνων ἐπέζεσε τὸ Ταντάλειον σπέρμα διὰ πόνων τ' ἄγει*, quod Canterus ex inepta lectione *τ' ἀεί* restituit. Cum acc. ex *ἐπιζεῖν* pendente non convenit Hec. 579 *δεινόν τι πῆμα ἐπέζεσε ταῖς Πριαμίδαις.* Quam difficultatem Hermannus commode sustulit virgula ante *τὸ Ταντ.* posita. Refert igitur accusativum ad sequens *διὰ πόνων τ' ἄγει* et *ἐπέζεσε* absolute excipit quod fieri posse alii loci demonstrant, cf. Herod. 7. 31 *ἡ νεότης ἐπέζεσεν.* Ar. Thesm. 468.

Duplex accusativus.

In quo duo genera statuenda sunt: aut uterque acc. transitivus, aut alter transitivus alter immanens est.

I. Uterque accusativus transitivus est. Notissimus huius generis usus est, quo alter acc. alterius praedicatum continet (K. 273. 1). Nihil autem apud poetam repperi, quod mentione dignum sit; specimina attulerim haec: Alc. 801 *τὸν μὲν καθ' ἡμέραν βίον λογίζου σόν.* Her. 613 *τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ᾤκισε, τὸν δ' ἀλήταν εὐδαίμονα τεύχει* scl. *μοῖρα.* H. f. 182 *τίν' ἄνδρ' ἄριστον ἐγκρίναιεν ἄν;* Ba. 1025 *Θήβας ὧδ' ἀνάνδρους ἄγεις;*

Nonnunquam scriptores substantivi accusativum cum verbis velut ἔχειν, ποιεῖσθαι, τίθεσθαι ita coniunxerunt, ut e iis notio nova evaderet, quae substantivi vim verbalem ita promeret et urgeret, ut alter acc. ex ea pendere posset. Quam dicendi rationem iam p. 62 commemoravimus [1]). H. f. 707 ἃ χρῆν σε μετρίως σπουδὴν ἔχειν idem est atque σπουδάζειν. Or. 1121 γόους πρὸς αὐτὴν θησόμεσθ' ἃ πάσχομεν h. e. γοησόμεσθα. 1037 ὕβρισμα θέμενος τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον h. e. ὑβρίζων. — Ion 584 τοῦτο κἄμ' ἔχει πόθος i. q. ποθῶ. — Her. 654 τί γὰρ βοὴν ἔστησας; σέ h. e. ἐβόησά σε, quam Matthiaei interpretationem optimam Pflugkius tentare studet exemplis, quae, quid sibi velint, non intelligo. — Ba. 1277 τὸ μέλλον καρδία πήδημ' ἔχει. Verbo πηδᾶν Aristoph. Nub. 1392 de cordis palpitatione utitur, et eodem modo hic πήδημ' ἔχει dictum est, e quo τὸ μέλλον pendet: tremere alqd. — Eiusmodi generis est Or. 1316 φόβος μοί τις εἰσελήλυθ' ἥντιν' ἐν δόμοις κλύω βοήν, spectat enim acc. βοήν ad φόβον ἔχω vel φοβοῦμαι, quod in φόβ. μ. εἰσελήλ. inest. — Or. 1069 ἓν μὲν πρῶτά σοι μομφὴν ἔχω.

Iam ad quaesitiores quasdam dictiones nos convertamus, in quibus alter acc. cum verbo praedicativam notionem continet, e qua alterum obiectum pendet. Optimum autem exemplum, quam audaces poetae in statuendis phrasibus talibus transitivis fuerint, est Hec. 795 ποῖ μ' ὑπεξάγεις πόδα; Quae verba Porsonus ita intelligi voluit, ut essent σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος, quo meum pedem subducis h. e. quo me cogis te sequi. Quam explicationem Hermannus reicit, quia, ubi figura illa adhibeatur, pars, non totum maiore vi et pondere exornetur, quod loco absonum sit, cum qui aliquem educat, pedem quoque educat necesse sit. Itaque ὑπεξάγ. πόδα coniungenda sunt, quorum obiectum est μέ: quo me fugis, quod optime in sententiam quadrat, cum Hecuba Agamemnonem implorans, ut auxilium sibi ferret ad-

---

1) Scripsit de his rebus Trawinsky: De tragicorum usu accusativi e phrasibus apti. Berlin 1865.

versus Polymestorem nefarium, qui filium suum occidisset, regemque discessurum neque preces suas curaturum esse sentiens clamorem illum tollat. — Ba. 1010 ἴθ', ὦ Βάκχε, θηραγρότα βακχᾶν, περίβαλε βρόχον ἐπὶ θανάσιμον ἀγέλαν πεσόντα τὰν Μαινάδων. Scaligerus scripsit πεσόντι, quem secuti multi editores pro vocativo θηραγ. dativum scribendum esse opinati sunt. Quod opus non est neque πεσόντα mutandum est. Hunc enim acc. recte illatum esse dicit Hermannus, quasi pendeat ex ἅλισκε, quod lateat in περίβ. βρ. — Phoe. 165 περὶ δ' ὠλένας δέρᾳ φιλτάτᾳ βάλοιμι χρόνῳ φυγάδα μέλεον. Schol. hunc acc. appositionem ad verba antecedentia πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα esse dicit, quod propter verborum positionem fieri nequit. Recte Pflugkius, Porsono auctore, construit verba: ὠλένας περιβάλοιμι φυγάδα μέλεον δέρᾳ φιλτάτᾳ. Acc. φυγάδα pendet e transitiva notione verborum ὠλ. περιβ. h. e. περιπτύσσειν umarmen, quibus additum est δέρᾳ φιλτ. in collo carissimo. — Tro. 147 ἐξάρξω 'γὼ μολπὰν οὐ τὰν αὐτὰν οἵαν — ἐξῆρχον θεούς, h. e. μέλπειν θεοὺς ἄρχεσθαι. — Or. 952 κατάρχομαι στεναγμόν, τιθεῖσα λευκὸν ὄνυχα διὰ παρηΐδων, αἱματηρὸν ἄταν. Dubium est, utrum obiective hic acc. ex κατάρχ. στεν. aptus sit, an appositionem ad verba antecedentia contineat, ὅ ἐστιν αἱμ. ἄτα. Quae interpretatio magis illa mihi arridet, quia, si accusativum ad κατ. στεν. referendum esse poeta voluisset, Electra se suum sive Tantalidarum infortunium deploraturam esse dicere debeat. — τιμωρεῖσθαι praeter acc. personae cum acc. rei quoque coniungi potest. Cyc. 688 εἰ μή σ' ἑταίρων φόνον ἐτιμωρησάμην, pendet σέ e phrasi φόνον τιμωρ. Sin autem φόνον acc. immanentem haberemus, ipsam poenam contineret, qua punitus esset Cyclops: ich rächte mich an dir mit einer Mordrache. Eiusmodi est Alc. 745 εἰ μή σ' ἀδελφῆς αἷμα τιμωρήσεται: αἷμα = φόνον. Acc. autem immanens est Her. 852 ἀποτίσασθαι δίκην ἐχθρούς, id. 882. Med. 262 πόσιν δίκην τῶνδ' ἀντιτίσασθαι κακῶν. 1305 ὡς τὴν (= αὐτήν) τίσωμαι δίκην, quam deteriorum codicum lectionem nonnulli editores meliorum scripturae φόνῳ praeferunt. In his exemplis δίκην non eam rem continet, cuius

causa poena imponitur, sed ipsa poena est. — Analogia verbi τιμωρεῖσθαι cum duobus acc. trans. construitur μετέρχεσθαι sensu metaphorico ulciscendi (v. p. 61) Or. 415 ὥς ταχὺ μετῆλθόν σ' αἷμα μητέρος θεαί. De furiis dicitur Orestem propter matris caedem persequentibus. Cum acc. immanenti legitur Ba. 338 τῆς σῆς ἀνοίας τόνδε τὸν διδάσκαλον δίκην μέτειμι. 506 τῶνδ' ἄποιν' ὑβρισμάτων Διόνυσος μέτεισί σε. — Hec. 638 ἐκρίθη δ' ἔρις, ἂν ἐν Ἴδᾳ κρίνει τρισσὰς μακάρων παῖδας ἀνὴρ βούτας. ἔριν κρ. τινά similis constructio est atque φόνον τιμωρ. τινά. — In statuendis accusativis, e phrasibus aptis, Hermannus interdum nimium progressus ipsius lectionis mutationibus factis eos poetae ingerere conatus est. Tro. 123 πρῷραι ναῶν ὠκεῖαι Ἴλιον ἱερὰν αἳ κώπαις, — quattuor versus — βαίνουσαι πλεκτὰν Αἰγύπτου παιδείαν ἐξηρτήσασθ', αἲ αἲ Τροίας ἐν κόλποις. Herm. βαίνουσαι aliunde adiectum esse dicit metrum docere, et Euripidem, cum dicere vellet, αἳ ἔβητε, posuisse uberiorem rei descriptionem πλεκτὰν παιδ. ἐξ., quam constructionem interpretem non perspicientem addidisse βαίνουσαι. Qua in re mihi non persuasit. Ac primum quidem, quaenam metri difficultas sit, non video. Nam cantus ille lugubris Hecubae non in stropham et antistropham divisus est, ut altera alterius metrum corrigere possit; cumulationem autem syllabarum productarum, in qua nescio an offenderit, non molestam neque improbandam esse, proximi versus docent, qui eodem metro constituti sunt. Deinde verbis πλεκτ. παιδ. ἐξ. utut vertuntur non talem notionem inesse credo, quae accusativum postulet, cum non motus, immo quietis statum contineant, ut potius dativus vel ἐν desideretur. Optime autem sententia expeditur, si coniunguntur Ἴλ. βαίνουσαι et πλ. Αἰγ. παίδ. (funes) ἐξηρ. ἐν Τρ. κόλποις.

Eodem hoc duplicis accusativi usu genera quaedam verborum nituntur, quae ipsa accusativum et personae et rei secum habent ita, ut hic genuinum verbi obiectum, ille personam contineat, ad quam praedicativa verbi et obiecti notio spectat. Artissime autem accusativum rei cum verbo coniunctum esse et paene adverbii loco unam notionem cum verbo

efficere eo probatur, quod cum sententia passiva exstat, acc. servatur, non nominativo mutatur.

Verba postulandi. *αἰτεῖν*. Rhe. 181 *μεῖζον γῆρας ἐμέ*. And. 53 *δίκην Φοῖβον*. 892. Medium: Alc. 311 *αἰτήσομαι γάρ σ' ἀξίαν μὲν οὔποτε*. Ion 28 *σὲ τάδε*. — *ἐξαιτεῖν* Sup. 122 *θανόντας πόλιν*. Or. 1667 *δίκας με*. Rhe. 175 *τὸν Ἰλέως παῖδά μ' ἐξαιτεῖ λαβεῖν*. — *ἀπαιτεῖν*. Hel. 962 *τὴν ἐμὴν δάμαρτά σε*. Her. 695 *θανόντας* (*ὅπλα*). Or. 1596 *θεοὺς* (*νέκυν*). Phoe. 602 *σὲ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός*. Sup. 386 *σὲ θάψαι νεκρούς*. Rhe. 174 *σὲ Μενέλεω σχέσθαι χέρα*. — Hel. 512 *τυράννους βίον προσαιτεῖν*. — Phoe. 1653 *οὐκ ἔννομον γὰρ τὴν δίκην πράσσεσθέ νιν*. — Pass. Phoe. 603 *οὐκ ἀπαιτούμεσθα* scl. *σκῆπτρα*.

Verba privandi. *ἀφαιρεῖσθαί τινά τι* frequentissimum est. And. 324 *Τροίαν Πρίαμον*. 603 *πολιοὺς πατέρας εὐγενῆ τέκνα*. Alc. 44, I. T. 1238, 807, I. A. 894, Hel. 686, Hec. 283. Passive: Hip. 639 *γυνὴ μωρίαν ἀφῃρέθη*. 1196 *ὥστ' ἀφῃρέθη Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοὐμὸν εἰσορᾶν*. Tro. 488, Her. 162, Hel. 937, Tro. 1269. Cum acc. rei et gen. pers. legitur And. 512 *φόβον οἴκων ἀφελέσθαι*, ubi praepositionis notio viget, e qua gen. pendet. — Cf. Tro. 1028 *ἀφελοῦ πρὸς Ἑλλάδος ψόγον τὸ θῆλύ τε*. — *ἐξαιρεῖσθαι* Alc. 69 *γυναῖκα τήνδε-σέ*. I. A. 971. — El. 270 *σιγῇ τοῦθ' ὑφαιρούμεσθά νιν*.

στερεῖν, *στερίσκειν* et *ἀποστερ*. Quorum vulgaris constructio quamquam est *τινὰ τινός*, tamen cum passivo accusativum rei poeta coniunxit revocandum ad duplicem acc. Ba. 1361 codd. *στέρομαί σε, πάτερ*, quod Elmsleyus correxit in *στένομαι*. In sententiam illud optime quadrat neque propter acc. reiciendum est. Nam si conferuntur Hel. 95 *οὔ τί που σῷ φασγάνῳ βίον στερεῖς;* H. f. 136 *Ἑλλὰς ὦ ξυμμάχους οἵους οἵους ὀλέσασα τούσδε ἀποστερήσει*. Tro. 377 *ἔθνῃσκον οὐ γῆς ὅρι' ἀποστερούμενοι*, haec exempla satis efficiunt, duplicem acc. in his verbis a poetica dictione alienum non fuisse, quem eundem testatur Soph. El. 960. — And. 582 codd. minoris auctoritatis habent *πρὸς ἀνδρὸς Φρυγὸς ἀπηλλάγης*

λέχους, quod plurimi receperunt, cum Kirchhoffius meliores libros secutus λέχος, qui est acc. inusitatissimus, retinuerit, in ἀπηλλ. vitium inesse nescio quo iure dicens. — συλᾶν τινά τι. Hel. 974 ἐμὲ γυναῖκα. I. T. 156. Pass. Tro. 793 συλώμεθα τὴν ψυχήν. I. A. 1277. — Alc. 883 τοῖον ὅμηρόν μ' ἀποσυλήσας. — Hel. 476 οὔ τί που λελῄσμεθ' ἐξ ἄντρων λέχος. — Hec. 1007 δώσεις δίκην· ἀλίμενόν τις ὡς ἐς ἄντλον πεσὼν λέχριος ἐκπεσῇ φίλας καρδίας, ἀμέρσας βίον. Quae verba mea sententia nihil aliud significare possunt nisi: sicut quis in mare procul a portu illapsus vita cara privaberis, quia vitam rapuisti. Hermannus ἐκπέσῃ activum. scribens interpretatur: sicut qui animam amisit, vitam ea privans, quae tautologia molestissima est neque lenitur subaudito αὐτῆς scl. καρδίας. Ad ἀμέρσας βίον autem αὐτόν scl. Polydorum supplere necesse non est, sed verba absolute accipi possunt, quia interfecisti, ut uberius et sollemni quadam vi dicta sint pro κτανών. Nam κτείνειν quoque sine obiecto occurrit Hec. 778 τυχὼν δ' ὅσων δεῖ ἔκτεινε. I. A. 946 εἴπερ φονεύσει τοὐμὸν ὄνομα σῷ πόσει. Ion 1021.

Verborum privandi analogia dictum est Hec. 893 ἀπὸ δὲ στεφάναν κέκαρσαι πύργων corona turrium tibi detonsa est.

Verba induendi, exuendi. Ba. 817 ἐγὼ στελῶ σε, τίνα στολήν; — Hel. 1384 ἁγώ νιν ἐξήσκησα. — El. 317 Ἰδαῖα φάρη ἐξευγμέναι. — Tro. 499 τρυχηρὰ περὶ τρυχηρὸν εἱμένη χρόα πέπλων λακίσματα. — I. A. 1070 ὅπλων κεκορυθμένος ἔνδυτα. — And. 110 libb. δουλοσύναν στυγερὰν ἀμφιβαλοῦσα κάρα, leni coniectura usitatam constructionem κάρᾳ recte restitutam esse credo. Cf. H. f. 463. — Sup. 719 ὁμοῦ τραχήλους κἀπικείμενον κάρα κυνέας θερίζων h. e. caput galea indutum. Usus est poeta dictione, quam aetate sua insolentem paene et inusitatam recentiores demum scriptores, velut Plutarchus, Appianus, Lucianus restituere ausi sunt, cf. Luc. de gymn. 23 τραγῳδοὶ ἐπικείμενοι κράνη et de navig. 5 ἡ πρύμνα χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Plut. Marc. 22 μυῤῥίνης στέφανον ἐπικείμενος.

Ba. 597 θαρσεῖτε, σάρκας ἐξαμείψασαι τρόμον. Quam-

quam mutatio *σαρκός* evidens et speciosissima esse videtur, recte accusativus defenditur. Hermannus, cum re, inquit, *ἐξαμείβειν τρόμον* idem sit atque semet affirmare, recte potest cum acc. *σάρκας* construi, ut hanc explicationem ad figuram illam *καθ' ὅλ. κ. κ. μ.* rettulisse videatur. Sensu quidem hoc quadrat, sed ut recte dictionem illam expediamus, verbi significatio respicienda est, qua Euripidem verborum exuendi analogiam secutum esse probatur; cf. Aesch. Ag. 1242 *ἐκδύων ἐμὲ τὴν χρηστηρίαν ἐσθῆτα.* Hom. Il. Σ 345. *ὄφρα Πάτροκλον λούσειαν ἄπο βρότον αἱματόεντα.*

κρύπτειν τινά τι exstat Hip. 912 *φίλους σὰς δυσπραξίας.* Hec. 565. I. T. 1027 *τάσδε συγκρύψαι τάδε.* Sup. 297 *χρήστ' ἐπικρύπτειν φίλους.*

II. Alter accusativus transitivus, alter immanens est. Quae constructio respectis iis, quae de accusativo immanenti diximus, difficultates non offert eodemque modo expeditur. Nam ut accusativum illum verbi accuratiorem definitionem continere vidimus, ita hic quoque ad verbum et obiectum trans. alter acc. accedit, qui verbi notionem supplet et definit.

Magnam huius structurae partem pronomina illa et adiectiva neutrius generis comprehendunt, quae immanenti ratione cum verbo coniuncta sunt. Ut antea in paucis huius modi exemplis allatis me continui, ita hic quoque paucis locis usum illum notissimum illustrare satis habebo.

Pronomina. El. 265 *τίνος σ' οὕνεχ' ὕβρισε τάδε;* Alc. 264 *τάδε σπερχόμενός με ταχύνει.* Hec. 1183 *τίνα δοκεῖς πείσειν τάδε;* I. T. 689 *σ' ἐπισκήπτω τάδε,* multo usitatius est *τινί τι,* cf. Phoe. 775. Hel. 938 *σ' ἱκετεύω τόδε.* — Ad *ταῦτα* v. p. 20 And. 212. 678. I. A. 344. — Alc. 820 *εἰ μή τι σός με δεσπότης ἐψεύσατο.* — Her. 948 *τί σὺ κεῖνον οὐκ ἔτλης καθυβρίσαι.* Ba. 606. — Rhe. 956 *τοσόνδε νύμφην τὴν ἔνερθ' αἰτήσομαι.*

Adiectiva. Hel. 1170 *πόλλ' ἐμαυτὸν ἐλοιδόρησα.* Her. 947 *πολλὰ τὸν παῖδα ἐφυβρίσαι.* Alc. 459 *π. σὲ μέλψουσιν.* Tro. 1009 *π. ἐνουθέτουν σε.* Her. 703 *σμικρὰ δ' ὀνήσει*

πόλιν. fr. 879 *μεγάλα βλάπτειν πάτραν.* I. T. 657 p. 23 Hip. 1352 p. 26. Ba. 70 p. 27 cet.

Substantiva. Acc. eandem stirpem quam verbum habet. Or. 1019 *ὥς σ' ἰδοῦσ' ἐν ὄμμασι πανυστάτην πρόσοψιν ἐξέστην φρενῶν. Παν. πρόσοψ.* idem est atque *πανύστατον*, cf. Alc. 169 *π. σὲ προσπίτνουσα.* Nonnunquam accusativos tales posuit poeta, qui quomodo intelligendi sint, dubium est. Possunt enim aut immanenter ad verbum aut appositive ad totam sententiam referri, ut H. f. 323 *ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν, ἀνόσιον θέαν, ψυχορραγοῦντα.* Si accusativum interpretaremur ratione immanenti *ἀνοσίως*, sensus perversus evaderet, quia Amphitryo tum nefario oculo se usurum esse diceret, si liberos necatos adspiceret. Itaque hic appositio statuenda est. Idem valet de pluribus aliis locis. Or. 717 *ἀλλ' ἐσορῶ Πυλάδην στείχοντα, ἡδεῖαν ὄψιν.* Ba. 1221 *λεύσσω γὰρ αὐτήν, ὄψιν οὐκ εὐδαίμονα.* Her. 930 *τὸν δ' ἄγοντες ἥκομεν, ἄελπτον ὄψιν.* Hel. 1364 *ἥ με προὔδωκεν· καλήν γε προδοσίαν.* Hel. 35 *δοκεῖ μ' ἔχειν κενὴν δόκησιν οὐκ ἔχων,* quocum conferas Alc. 364 *δοκῶ γυναῖκα καίπερ οὐκ ἔχων ἔχειν, ψυχρὰν μὲν οἶμαι τέρψιν.*

Ion 926 *λοχεύματα σέμν' ἐλοχεύσατό σε,* 1525 *φίλον σ' εὕρημα εὕρομεν,* propter verborum positionem his locis accusativum immanentem statuerim; appositionem enim sententiam sequi oportuit. — I. A. 1364 *αἱρεθεὶς ἑκών, πονηράν γ' αἵρεσιν,* ubi si appositionem verbis inesse poeta voluisset, nominativus dicendus erat.

Hel. 1098 *ἅλις δὲ λύμης ἥν μ' ἐλυμήνω πάρος.* Sup. 1063 *νικῶσα νίκην τίνα; πάσας γυναῖκας,* quae verba *τίνα* non cum *νίκην* coniungendum esse ostendunt. Tro. 359 *Ἑλένης γαμεῖ με δυσχερέστερον γάμον.* I. A. 1183 *σὲ δεξόμεσθα δέξιν ἥν σε δέξασθαι χρεών,* cui versui persimile est Ba. 948 *κρύψει σὺ κρύψιν ἥν σε κρυφθῆναι χρεών.* Ut verba magis efferantur, poeta ter vocabula cognata posuit.

Passivum. I. T. 357 *νυμφεύομαι νυμφεύματ' αἰσχρά.* Ba. 1286 *ὕβριν ὑβρισθείς.* Hip. 1226 *δεσμὸν δυσεξήνυστον δεθείς.* — H. f. 398 *δράκων ἄπλατον ἀμφελικτὸς ἕλικα.* Ad-

iectivum eodem modo ut verbum, a quo derivatum est, accusativum sustinet.

Accusativus significationem verbo finitimam habet. H. f. 900 ἀνακαλεῖς με τίνα βοάν; Hel. 834 ἁγνὸν ὅρκον σὸν κάρα κατώμοσα. Tro. 44. παρθένον-γαμεῖ σκότιον λέχος. I. A. 789 τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμους κόμας ῥῦμα δακρυόεν τανύσας πατρίδος ἀπολωτιεῖ; Verborum constructionem Hermannus intellexit: τίς με πατρ. ἀπολ., κόμ. ῥῦμ. δ. ταν. h. e. comas lacrimoso tractu tendens. Phoe. 293 γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω σε. Valkenarii coniectura γονυπετεῖ ἕδρᾳ a Porsono iure refutata est: „si προσπ. σέ et προσπ. ἕδραν separatim recte dicuntur, cur non etiam coniunctim?"

Passivum. Hec. 895 κατὰ δ' αἰθάλου κηλῖδ' οἰκτροτάταν κέχρωσαι. Phoe. 936 σφαγεὶς φόνιον αἷμα. 1436 τετρώμενοι καιρίους σφαγάς. Ion 1490 κρυπτόμενον λέχος ηὐνάσθην. El. 157 λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενος.

Accusativus liberior. Cf. p. 27. De verbis ἀποτίνεσθαι et μετέρχεσθαι v. p. 70. — I. T. 1066 ἔλεγον οἶτον ἀείδεις. Multis in editionibus scriptum est οἰκτρόν, cum Matth. et Schneid. explicent ἔλεγον = ἐλεγεῖον. Optime Seidlerus locum interpretatus est ἐλ. ἀείδ. — οἶτον h. e. carmine elegiaco infortunia lamentari. — Phoe. 1667 τὸ τόλμημ' οἷόν μ' ἐξωνείδισεν impudenter mihi maledixit. — 1040 ἰήιον βοάν, ἰήιον μέλος ἄλλος ἄλλον ἐπετότυζεν. — Or. 1376 ὥς σ' ὀλόμενον στένω ἁρμάτειον μέλος. Recte fecerunt, qui virgula ante ἁρμ. non posita verba illa se appositionem non habere ostenderunt. — I. A. 1467 ὑμεῖς δ' ἐπευφημήσατε παιᾶνα Ἄρτεμιν = παιωνίζετε. — Med. 207 λιγυρὰ δ' ἄχεα μογερὰ βοᾷ τὸν προδόταν κακόνυμφον i. e. einen Schmerzensschrei ausstossen über. — Tro. 336 βοάσατ' εὖ τὸν Ὑμέναιον, ὤ, μακαρίαις ἀοιδαῖς ἰαχαῖς τε νύμφαν Hymenaei carmine maritum celebrare.

Or. 1466 κτύπησε κρᾶτα μέλεον πλαγάν, mit lauten Schlägen das Haupt schlagen; mutatione πλαγᾷ opus non est. El. 206 ναίω ψυχὰν τακομένα δωμάτων πατρῴων φυγὰς οὐρείας ναίουσ' ἐρίπνας. Qui versus legerit, certo φυγάς adiectivum habebit, in quo Seidlerus haesit, quia in fine versus

syllaba producta desideretur. Qua de causa Hermannus φυγάς accusativum esse contendit, positum in ψυχ. τακ., qua in phrasi deplorandi notio insit. Quamquam Weilius legem illam metricam incertissimam esse dicit, plurimi viri docti in ea, ut tragicorum propria diligenterque observanda, consentiunt. Eam igitur secutis loco illo φυγάς accusativus nobis habendus est, quem ex ψυχ. τακ. pendere posse mihi quoque persuasum est. Neminem autem fugerit, dictionem hac ratione molestissimam existere, quia nimio pleonasmo ναίω et ναίουσα inter se cohaerent, quae melius disiunguntur, si φυγάς sui iuris est. — Cyc. 147 σὲ γεύσω ἄκρατον μέθυ eine Methprobe machen lassen. — Hel. 1321 Nauckius et Kirchhoffius codices sequuntur: ματεύουσα πόνους θυγατρὸς ἁρπαγὰς δολίους h. e. multis cum laboribus filiam raptam investigare. Hermannus Stephano auctore scripsit ματεύουσ' ἀπόρους. — Phoe. 258 οὐ γὰρ ἄδικον εἰς ἀγῶνα τόνδ' ἔνοπλον ὁρμᾷ ⟨παῖς⟩, ὃς μετέρχεται δόμους. Omissa voce παῖς, quae metro non convenit, illam codicum scripturam praetulerim Hermanni ἀ. ἐ. ἀγ. τάνδ' ἔνοπλον ὁρμὰν παῖς μετέρχ. δόμους. Offendo in praepositione εἰς praeter illos duo acc. cum eodem verbo coniuncta. Intransitivus activi ὁρμᾶν usus firmatur Med. 1167. — I. T. 395 ἔνθα κούρα δία τέγγει βωμοὺς καὶ περικίονας ναοὺς αἷμα βρότειον. Dindorfius nominativum κούρα tenendum, non dativo mutandum esse monuit, ut construenda sint verba τέγγει scl. virgo αἷμα βωμούς. Αἷμ. τέγγ. est cruentis guttis adspergere, cruentando irrigare. Quo loco alium expediri posse credo, qui multum et graviter viros doctos vexavit et multarum coniecturarum ansam dedit. I. T. 218 αἱμόρραντον δυσφόρμιγγα ξείνων αἱμάσσουσ' ἄταν βωμούς. Multi editores aut Matthiaeo auctore βωμ. glossema habentes eiecerunt aut ἄταν appositionem esse iudicaverunt, quod propter verborum positionem fieri nequit. Obiecto βωμούς verbum αἱμ. carere non potest mihique persuasissimum est, dictionem illam αἱμ. ἄτ. βωμ., ut gravem soloecismum damnatam, ferri posse sensumque esse: Besudelnd die Altäre mit einem vom Blut triefenden, traurigen Verderben (Mord) der Fremden.

Hel. 1125 codd. *πολλοὺς δὲ πυρσεύσας φλογερὸν σέλας ἀμφὶ ῥυτὰν Εὔβοιαν εἷλ' Ἀχαιῶν*, quae verba ita teneri non possunt. Quid enim sibi vult illud *ῥυτάν* i. e. fluctuans, quod si de Delo insula ageretur, fortasse quadraret, hic autem ad Euboeam refertum sensu caret. Coniungenda sunt verba cum Matthiaeo in *ἀμφιρυτάν*, et cum *πυρσεύειν*, h. e. facibus signum dare, Suida teste dici possit notione illustrandi, nihil obstat, quominus praeter obiectum *Εὔβ. ἀμφιρ.* acc. immanens *φλογ. σέλ.* adiciatur: erleuchtend das von Wogen umflutete Eub. mit loderndem Fackelschein.

Med. 828 codd. *τὰν Κύπριν κλῄζουσιν χώραν καταπνεῦσαι μετρίας ἀνέμων ἡδυπνόους αὔρας*. *Χώραν*, genitivus licet sit usitatior, defendi potest. v. p. 67. Sensus igitur est: Das Land mit mildem, süsswehendem Windeshauch anwehen. Metra autem strophae et antistrophae inter se non congruunt multaque ad hanc difficultatem tollendam tentata sunt. Recte Nauckius observare mihi videtur, in stropha verba *χώρας ἀποφερβόμενοι σοφίαν* inepta et comparationem illam cum bove herbas pascente Atheniensibus indignam esse, ut in lectione sananda ab his verbis proficiscendum sit. — Non minore corruptela laborat Cyc. 324 *θήρειον δάκος δαινύμενος ἐν στέγοντι γαστέρ' ὑπτίαν*. Nec quid sibi velit *ἐν στέγ.* nec quo *γαστέρα* referendum sit apparet. Sensui satisfacit Reiskii coniectura *εὖ τέγγων*, quam Hermannus refellit, quia propter *ἐπεκπιὼν* dicendum fuerit *τέγξας*. Ipse lacunam statuit.

P a s s i v u m. Ion 1270 *πετραῖον ἅλμα δισκηθήσεται*. — Hel. 410 *ναῦς πολλοὺς ἀριθμοὺς ἄγνυται ναυαγίων*. — 773 *ἅλιον ἐφθείρου πλάνον*. — I. T. 428 *ἀμφὶ χαίτᾳ δρόσον αἱματηρὰν εἱλιχθεῖσα*. — Rhe. 527 *τίς ἐκηρύχθη πρώτην φυλακήν;* — El. 573 *οὐλή, ἣν ᾑμάχθη*.

V e r b a b e n e, m a l e - f a c i e n d i, d i c e n d i. *δρᾶν*. Sup. 40 *ὅσιόν τι θεούς*. 1185 *ἐσθλὰ Ἀργείαν χθόνα*. I. A. 366 *βαρβάρους κεδνόν τι*. 395 *ἄνομα κοὐ δίκαια παῖδας*. Rhe. 580 *μηδὲν πολεμίους νεώτερον*. Cyc. 655 *σὲ μάταιόν τι*. Hel. 1084 *πλημμελές τί σε*. And. 817 *δῆλα καὶ ἀμφιφανῆ καὶ ἄκρυπτα πόσιν*. — Ion 383 *τὸν θεμιστεύοντα πῆμά τι*. Observaveris

autem et ad hoc substant. et ad adiectiva, cum singulari dicta sunt, poetam semper pronomen τὶ adiecisse, cf. p. 26. Pronomina: I. A. 1142 ἅ με. 464 μὲ τάδε. Phoe. 960 τί με. H. f. 206. And. 1141 τοιαῦτα παῖδα. Rhe. 734 οἷα ἡμᾶς ἀφανῆ. Alc. 255 οὐδὲν θεούς. — ἐργάζεσθαι. Hec. 262 οὐδὲν αὐτὸν κακόν. Her. 806. El. 1170 ἀνόσια εὐνέταν. 1203 δεινὰ κασίγνητον. Ba. 481 τί με τὸ δεινὸν ἐργάσει i. e. τί τὸ δ. ἐστὶν ὅ μ' ἐργ. Hip. 79 οἷά με. — Verbi πράσσειν solum exemplum legi Hel. 1395 ταὐτὰ πράξεις τὸν ἄνδρα [1]).

λέγειν. Phoe. 701 μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλας. El. 911 σὲ κακά. I. T. 332 θαυμαστὰ τὸν φανέντα. — εἰπεῖν. Med. 462 τοῦτό σε. Alc. 960 ἐμὲ τάδε. And. 635 τί τοὺς γέροντας. — Sup. 436 ἔστι δ' ἐνισπεῖν τοῖσιν ἀσθενεστέροις τὸν εὐτυχοῦντα ταὐτά. — Hip. 118 εἴ τίς σε μάταια βάζει. — 580 αὐδῶν δεινὰ πρόσπολον κακά. — And. 661 τοιαῦτα λάσκεις τοὺς ἀναγκαίους φίλους — Liberrime dictum est Ion 707 δεσποίτᾳ τάδε τορῶς ἐς οὓς γεγωνήσομεν πόσιν.

Verba interrogandi. ἐρέσθαι. And. 592 Ἑλένην τάδε. Hec. 969 τὰ δ' ἄλλα σε. Or. 499 σὲ τοσόνδε. Sup. 848 ἕν σε. Tro. 939 οὔ σ' ἀλλ' ἐμαυτὴν τοὐπὶ τῷδε. I. T. 649 ἀνήρεθ' ἡμᾶς τοὺς ἐν Ἰλίῳ πόνους. — 652 ἀνηρώτα με γυναῖκα παῖδάς τε. I. A. 1128 ἂν ἐρωτήσω σε. Sup. 1048. — Phoe. 622 τί μ' ἱστορεῖς τάδε; Hec. 234 τοὺς ἐλευθέρους μὴ λυπρὰ μηδὲ καρδίας δηκτήρια ἐξιστορῆσαι. — Hel. 938 σ' ἱκετεύω τόδε.

Verba alloquendi. El. 905 τίν' ἀρχὴν πρῶτά σ' ἐξείπω κακῶν; — Her. 573 προσειποῦσ' ὕστατον πρόσφθεγμα scl. αὐτούς. — Med. 659 χαῖρε· τοῦδε γὰρ προοίμιον κάλλιον οὐδεὶς οἶδε προσφωνεῖν φίλους. — Hip. 822 τίνα λόγον, τάλας, τίνα τύχαν σέθεν βαρύποτμον προσαυδῶν τύχω; — Phoe. 313 τί φῶ σε. Schol. προσφθέγξομαί σε. — H. f. 954 πατὴρ δέ νιν ἐννέπει τάδε. — Or. 1254 τί δέ με τόδε χρέος ἀπύεις;

---

1) Accusativi loco dativus cum his verbis coniunctus est: Hec. 1064 ὥς σοι δύσφορ' εἴργασται κακά. Med. 858 νῷν πόλλ' ὑπείργασται φίλα. 1281 ὅσα δὴ βροτοῖς ἔρεξες κακά. Hel. 1300 τῷ φιλτάτῳ μοι Μενέλεῳ τὰ πρόσφορα δρῴης ἄν. Or. 740 ὃ τοῖς φίλοις δρῶσιν οἱ κακοὶ φίλοι.

Verborum docendi unum non neglexerim. Ba. 825 *Διόνυσος ἡμᾶς ἐξεμούσωσεν τάδε.* fr. 487 *λόγους μεμούσωμαι.*

Verba nominandi et appellandi, quae cum duobus acc. trans. construi constat, immanenter cum voce *ὄνομα* construuntur. And. 56 *δέσποιν', ἐγώ τοι τοὔνομ' οὐ φεύγω τόδε καλεῖν σε.* Hel. 1193 *ὦ δέσποτ'· ἤδη γὰρ τόδ' ὀνομάζω σ' ἔπος.* Ion 81 *ὄνομα — Ἴων' ἐγώ σφε πρῶτος ὀνομάζω.* 138 *τὸν δ' ὠφέλιμον ἐμοὶ πατέρος ὄνομα λέγω Φοῖβον.* 808 *ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζει πατήρ;* Cyc. 543 *εἰπὲ τοὔνομ' ὅ τι σε χρὴ καλεῖν;* Her. 86 *ὄνομα τί σ' ὠνόμαζεν λεώς;* Passivum: Ion 75 *Ἴωνα δ' αὐτὸν ὄνομα κεκλῆσθαι θήσεται.* 1601. H. f. 31 *ταὐτὸν ὄνομα παῖς πατρὸς κεκλημένος.*

Ut duplicem acc. omni ex parte absolvamus, restat, ut accusativos viae et loci respiciamus, qui una cum acc. pers. verbo adiuncti sunt.

Ad acc. viae cf. Alc. 457 *γυναῖκ' ἀρίσταν πορεύσας λίμναν Ἀχεροντίαν.* Med. 1056 *τούσδε πέμψω τλημονεστέραν* (scl. *ὁδόν*). Quae constructio saepissime adhibita digna non est, in qua diutius moremur; non autem negligendum est Ion 507 *ἵνα χοροὺς στείβουσι κόραι ποδοῖν στάδια χλοερά.* Hic. acc. immanens *χορούς* et acc. viae exstant.

Acc. loci praeter acc. obiecti praecipue adhibetur, cum verbum cum praep. compositum est, quae ipsa accusativum desiderat. Hel. 1567 *ταῦρον εἰσέθεντο σέλματα.* Sup. 878 *χρυσὸν οὐκ εἰσεδέξατ' οἶκον.* I. T. 253 *βοῦς πόντον εἰσεβάλλομεν.* 1408 *ἀδελφῆς Ἄργος εἰσπέμψων δέμας.* 730 *αὐτὴ ναὸς εἰσβήσω σκάφος* scl. *αὐτόν.* Cyc. 464 *φίλους γέροντά τε νεὼς μελαίνης κοῖλον ἐμβήσας σκάφος.* Her. 845 *ἐμβ. νὶν ἵππειον δίφρον.* Ion 849 *εἰσῴκισ' οἴκους* scl. *αὐτήν.* 1437 *ἐλαίας, ἣν Ἀθάνα σκόπελον εἰσηνέγκατο.* Ad *σκόπ.* pro ipsa Attica dictum cf. v. 1585. 1590 *Κυκλάδας ἐποικήσουσι νησαίας πόλεις.* Phoe. 366 *σπονδαί τε καὶ πίστις ἥ μ' εἰσήγαγε τείχη πατρῷα.* I. A. 935 *οὐ γὰρ ἐμπλέκειν πλοκὰς ἐγὼ παρέξω σῷ πόσει τοὐμὸν δέμας.* — Or. 278 *ὅστις μ' ἐπάρας ἔργον ἀνοσιώτατον,* quae verba Matthiaeus dicta esse vult ut *πείθειν τινά τι,* quod sensu quidem quadrat, cum constructione

autem grammatica non convenit. Atque ut verbum duo illos acc. ferre non possit, cuius rei equidem causam non video, tamen cum Hermanno aliisque locum non mutaverim, quia difficultas, si quidem adest, removeri potest virgulis ante et post ἔργ. ἀν. positis, ut appositio insit. Ita autem verbum ἐπαίρειν construi posse videas Her. 173 εἴ τι τοῦτό σ' ἐπαίρει. — Phoe. 1401 κἀν τῷδε μόχθῳ γυμνὸν ὦμον εἰσιδὼν ὁ πρόσθε τρωθεὶς στέρνα Πολυνείκους βίᾳ διῆκε λόγχην. Locus difficillimus, cuius inconcinnitatem editores parum respexerunt. Coniungenda sunt στέρνα διῆκε λόγχην scl. Eteocles, cui frater (Πολ. βία) femur iam percussit, huius pectus hasta traicit. Polynicem autem ita vulneratum iam pugna desistere crederes neque ense destricto diu cum fratre certare, ut verbis sequentibus narratur. Accedit, quod Eteocles humerum fratris nudum vidit; is igitur, non pectus clipeo tectum, hasta petendus erat. Denique ipsa constructio offensionis aliquid habet. Desideratur enim στέρνων ut Phoe. 1099 ξίφος λαιμῶν διῆκε et 1399 κνήμης τε διεπέρασεν δόρυ. Quas difficultates non habeo quo tollam. Porsoni enim coniectura λόγχῃ non ferenda est, quippe quae plane contra verbi constructionem faciat, neque Hermannum secutus sim, qui sagacissime σπερχνά pro στέρνα legi voluit. Illa enim vox, omnino rarissima, apud Euripidem non legitur, ut coniectura eam recipere gravatus sim, et illo loco non potest non cum τρωθείς coniungi, cum referenda sit ad διῆκε.

Quodsi verba composita propter praepositionis vim accusativum talem ferre possunt, mirari licet, quod simplicia quoque eodem modo construuntur. Tro. 876 πέμψομέν νιν Ἑλλάδα. Alc. 495 σὲ Θεσσαλῶν χθόνα πέμπει. I. A. 577. — I. T. 1099 σὲ μὲν οἶκον ἄξει. Tro. 188 τίς μ' Ἀργείων ἢ Φθιωτᾶν ἢ νησαίαν ἄξει χώραν; El. 590 σὲ θεὸς ἁμετέραν ἄγει νίκαν. — Tro. 1083 κομίζουσί μ' Ἀχαιοὶ Σαλαμῖν' ἱερὰν ἢ δίπορον κορυφὰν Ἴσθμιον. — 1078 ἐμὲ δὲ πόντιον σκάφος πορεύσει Ἄργος. — I. A. 1110 πάρεισι προχύται βάλλειν πῦρ καθάρσιον. El. 801 λαβὼν δὲ προχύτας ἔβαλλε βωμούς. — I. T. 1213 φέρε δ' ἶνιν ἀπὸ δειράδος εἰναλίας λοχεῖα κλεινὰ

λιποῦσ' ἀστάκτων μάτηρ ὑδάτων τὰν Παρνάσιον κορυφάν. De sententia dubitatur. Hermannus Matthiaeum secutus *ἀστακτ. ὑδ.* cum *λοχ. κλειν.* coniungit, de Inopo fluvio cogitans, contra Seidlerum, qui *ἀσ. ὑδ.* ad *Παρν. κορ.* trahit. — Liberius hic acc. loci adhibitus est Rhe. 474 *εἴτε λαιὸν εἴτε δεξιὸν κέρας πάρεστί σοι πέλτην ἐρεῖσαι καὶ καταστῆσαι στρατόν.*

Iam mentionem habuerim figurae illius, quae vocatur *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος*, cuius ratio ea est, ut ad verbum eiusque obiectum alter acc. accedat, qui illius obiecti partem, verbi actione praecipue affectam, contineat et urgeat. Quae figura a poetis saepe usurpatur et imprimis Homeri propria est, cuius dicendi ubertati aptissima fuit.

Hec. 430 *μ' ἀμφιθεὶς κάρα πέπλοις.* H. f. 848 *εἰς τὸ λῷστον ἐμβιβάζω σ' ἴχνος.* Rhe. 773 *ἵππους εἶδον λύκους ἐμβεβῶτας ἑδραῖαν ῥάχιν* i. e. vidi lupos in equorum dorsum se praecipitantes. El. 1140 *φρούρει δέ μοι, μή σ' αἰθαλώσῃ πολύκαπνον στέγος πέπλους.* Phoe. 42 *πῶλοί νιν τένοντας ἐξεφοίνισσον.* Cyc. 666 *οὔτίς με τυφλοῖ βλέφαρον.* Her. 172 *εἴ τι τοῦτό σε ψυχὴν ἐπαίρει.* — Saepius *φρένας* additur. Hip. 238 *ὅστις σε παρακόπτει φρένας.* 573, Andr. 410. — Bis haec figura exstat I. A. 1078 *σὲ δ' ἐπὶ κάρα στέψουσι καλλικόμαν πλόκαμον.* Partis enim *κάρα* pars est *πλοκ.*

Huiusmodi quoque generis accusativi sunt c. pass. coniuncti, quos p. 51 attulimus.

Iam ad simplicem accusativum illum redeamus, cui La Roche l. l. p. 250 nomen „accusativus epexegeticus" optime imposuit. Qui, quamquam hic omitti potest, cum non tam casus quam sermonis proprietatem exhibeat, qui sententiae appositionem adiecit nominativo aut accusativo, tamen quia poeta noster liberrime accusativo hac ratione usus est, exemplis quibusdam eum illustraverim. Accusativus autem in hoc usu appositivo nominativo multo copiosior est, quia non solum adhibetur, cum iudicium de sententia, quae antecedit, fertur et ad accusativum referri potest, sed etiam exstat, effectum quendam, qui e sententia illa proficiscitur, continens, ubi nominativum dicendum fuisse crederes.

Ad nom. cf. Hel. 986 κεισόμεσθα, ἀθάνατον ἄλγος σοί, ψόγος δὲ σῷ πατρί. Her. 72 στέφη μιαίνεται, πόλει τ' ὄνειδος καὶ θεῶν ἀτιμία.

Ad acc. Or. 1105 Ἑλένην κτάνωμεν, Μενέλεῳ λύπην πικράν. I. A. 229 τὰν ὄψιν ὀμμάτων ὡς πλήσαιμι, μείλινον ἁδονάν. Ba. 1089 θύρσους ἵεσαν Πενθέως, στόχον δύστηνον. El. 229 εὐδαιμονοίης, μισθὸν ἡδίστων λόγων. Kuehnerus p. 224, A. 5 hunc versum huc pertinere negat, quia μισθόν ex εὐδ. pendeat, quod quid sibi velit non intelligo. Ut illis locis hic quoque acc. appositionis exstat, significans ὅ ἐστι μισθός sq. Ba. 8 ὁρῶ δόμων ἐρείπια, ἀθάνατον Ἥρας ὕβριν. Phoe. 1137 ἀσπίδος τύποις ἐπῆν Γίγας — ὑπόνοιαν ἡμῖν οἷα πείσεται πόλις. 224. Κασταλίας ὕδωρ περιμένει με κόμας ἐμὰς δεῦσαι, παρθένιον χλιδάν. I. A. 830 δεξιάν τ' ἐμῇ χερὶ σύναψον, ἀρχὴν μακαρίων νυμφευμάτων. El. 1257 Ἁλιῤῥόθιον ὅτ' ἔκταν' Ἄρης, μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων. H. f. 56 τοιοῦτον ἀνθρώποισιν ἡ δυσπραξία· ἧς μήποθ' ὅστις 57 καὶ μέσως εὔνους ἐμοὶ τύχοι, φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον. Scl. τὸ τῆς δυστυχίας τυχεῖν ἐστιν φίλων ἔλεγχος. 415 ἔβα κόρας Ἀρείας πέπλων φάρος, ζωστῆρος ὀλεθρίους ἄγρας. 226 οὐδ' Ἑλλάδ' ᾔνεσα, — ἣν χρῆν νεοσσοῖς τοῖσδε πῦρ, λόγχας, ὅπλα φέρουσαν ἐλθεῖν, ποντίων καθαρμάτων χέρσου τ' ἀμοιβάς. 426 ἔπλευσ' ἐς Ἅιδαν, πόνων τελευτάν. Non ad Ἅιδ. revocaverim τελευτάν, quem finem miseriarum appellare potuit, sed ad totam sententiam spectat, quia Herculis iter in Tartarum factum eius laborum finis erat. 670 οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας Μούσαις συγκαταμιγνύς, ἁδίσταν συζυγίαν. 967 ὁ δ' ἐξελίσσων παῖδα κίονος κύκλῳ, τόρευμα δεινόν, ποδὸς ἐναντίον σταθείς. Cum τόρευμα nullo modo teneri possit, Hermannus πόρευμα scripsit; assentior, πόρ. δειν. appositionem habens, non cum illo ad σταθείς trahens. 1351 τέκνα πρὸς στέρν' ἐρείσας μητρὶ δούς τ' ἐς ἀγκάλας, κοινωνίαν δύστηνον. 982 ὁ δέ, — μυδρόκτυπον μίμημ', ὑπὲρ κάρα βαλὼν ξύλον καθῆκε παιδὸς εἰς ξανθὸν κάρα. Hercules eodem modo arcum gestavisse dicitur, quo faber ferrum tundens malleum. Hoc loco appositionem sententiam, ad quam se refert, non sequi, sed

ei antepositam esse respexeris; cf. 355 ἐγὼ δὲ τὸν γᾶς ἐνέρων τ' ἐς ὄρφναν μολόντα παῖδα — ὑμνῆσαι, στεφάνωμα μόχθων, δι' εὐλογίας θέλω. Idem effectum est Reiskii coniectura Hel. 77 ἀπόλαυσιν εἰκοῦς ἔθανες ἄν (Helena) i. e. hunc e formae similitudine fructum perciperes, ut morereris. Codd. habent ἀπώλλυσ' ἴν, quae inania sunt. Similis corruptela occurrit editoribus H. f. 1358 ἀγὼ παρεσκεύαζον ἐκμοχθῶν βίῳ, εὔκλειαν ὑμῖν, πατρὸς ἀπόλλυσιν καλήν. Canterus ἀπόλαυσιν restituit; cf. I. T. 440 συμβαίην δόμοις πόλει τε πατρῴᾳ, τερπνῶν ὕπνων ἀπόλαυσιν, κοινὰν χάριν ὄλβῳ. — Hip. 751 ἐπόρευσας ἐμὰν ἄνασσαν ὀλβίων ἀπ' οἴκων, κακονυμφοτάταν ὄνασιν. Or. 835 σφάγιον ἔθετο ματέρα, πατρῴων παθέων ἀμοιβάν. 1490 ὁ δὲ λισσόμενος, θανάτου προβολάν. Phoe. 1576 εὗρε τέκνα μαρναμένους, αἵματος ἤδη ψυχρὰν λοιβάν. And. 290 Κύπρις εἷλε (Πριαμίδαν) λόγοισι δολίοις, τερπνοῖς μὲν ἀκοῦσαι, πικρὰν δὲ βίου σύγχυσιν Φρυγῶν πόλει. Alc. 7 θητεύειν με πατὴρ θνητῷ παρ' ἀνδρί, τῶνδ' ἄποιν', ἠνάγκασεν. El. 1181 ἴδετε-δίγονα σώματ' ἐν χθονὶ κείμενα πλαγᾷ χερὸς ὑπ ἐμᾶς, ἄποιν' ἐμῶν πημάτων.

Adiectiva quoque appositionem continent. Phoe. 342 κλύω σε ξένον κῆδος ἀμφέπειν, ἄλαστα ματρὶ τᾷδε, γάμων ἐπακτὸν ἄταν, et ἄλ. et ἄταν appositionem continent. I. T. 607 θεᾶς γὰρ τήνδε προστροπὴν ἔχω. ἄζηλά γ', ὦ νεᾶνι, κοὐκ εὐδαίμονα. Cf. 639. Med. 1022 κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν, ζηλωτὸν ἀνθρώποισιν. Sup. 1073 καὶ δὴ παρεῖται σῶμα, σοὶ μὲν οὐ φίλον. Ita participium quoque absolute exstat Or. 30 πείθει δ' Ὀρέστην μητέρα κτεῖναι, πρὸς οὐχ ἅπαντας εὔκλειαν φέρον.

Denique locum conclamatum attulerim. Hel. 864 codd.: ἡγοῦ σύ μοι φέρουσα λαμπτήρων σέλας θεῖον δὲ σεμνοῦ θεσμὸν αἰθέρος μυχῶν. Quae verba sponte corruptela se laborare demonstrant. Coniecturarum, quae factae sunt, ea sola ferri posse mihi videtur, de qua cogitavit Musgravius, Plutarcho (de Is. et Os. 80) auctore verba ad caeremonias referenda esse suspicatus, quibus Aegyptii sulphure usi aera purgabant. Qua re commotus Hermannus scripsit θείου δέ, σεμνὸν

θεσμόν, αἰθέρος μυχόν i. e. sulphure purga omnem aethera, id quod lex reverenda est. Non autem cum Hermanno verba *σεμ. θέσ.* e *θεῖον* apta fecerim, quasi huic voci imperativus insit: imple legem, sed appositionem ea habeo. Quod sunt qui locum reicere studeant, quia *θεσμός* apud Euripidem non legatur, nihili est. Nam et Aeschylus et Sophocles voce usi sunt eamque a sermone poetarum tragicorum alienam non fuisse testantur.